The Project Gutenberg EBook of Julius Caesar, by William Shakespeare

This eBook is for the use of anyone anywhere in the United States and most other parts of the world at no cost and with almost no restrictions whatsoever. You may copy it, give it away or re-use it under the terms of the Project Gutenberg License included with this eBook or online at www.gutenberg.org. If you are not located in the United States, you'll have to check the laws of the country where you are located before using this ebook.

Title: Julius Caesar

Author: William Shakespeare

Translator: Henricus Denison

Release Date: September 4, 2014 [EBook #46768]

Language: Latin

Character set encoding: UTF-8

*** START OF THIS PROJECT GUTENBERG EBOOK JULIUS CAESAR ***

Produced by Carolus Raeticus

GULIELMI SHAKSPERII

JULIUS CÆSAR.

LATINE REDDIDIT

HENRICUS DENISON,

COLL. OM. AN. APUD OXON.
OLIM SOCIUS.

OXFORD AND LONDON:
JOHN HENRY AND JAMES PARKER:
CAMBRIDGE: DEIGHTON, BELL, & Co.;
ETON: E. P. WILLIAMS.

MDCCCLVI.

PREFACE.

The translator has been induced by the following considerations to publish what was begun as matter of amusement, and private occupation.

The employment of translation, oral and written, as the best and readiest mode of acquiring a dead language, and of imbuing the mind with its idiom and spirit, does not appear to be sufficiently recognised in the practice of the schools of this country.

The translator has long been persuaded that the very remarkable disproportion between the time and labour bestowed upon the teaching of the Greek and Latin languages, and the knowledge of either acquired by the average of English youth, is mainly owing to the neglect of translation, and to the preference shewn for what is styled, by courtesy, "original composition."

Under this system, instead of acquiring new ideas, the young student learns to write without them; instead of enriching his language, he does everything to impoverish it; instead of learning nice grammatical distinctions, and attaining to choice expression and lucid arrangement, he runs off into vague generalities of phraseology, which evade all the difficulties of composition, and overcome none.

The inadequate results thus commonly obtained, and the natural disappointments thence continually ensuing, have given rise to a feeling of doubt, which appears to be gathering strength, touching the expediency of retaining the teaching of the Greek and Latin languages as the basis of instruction in our schools. People see little practical advantage resulting therefrom; and they say that the time and energies so fruitlessly bestowed might be better employed in the acquisition of knowledge of various kinds more immediately applicable to the wants and purposes of life.

The translator cannot help feeling that, as matters stand at present, there is considerable force in the objection thus stated: and that, if it can be alleged with truth that, in spite of all the time and labour given, the knowledge acquired is, in the great majority of instances, so poor and meagre, so shallow and uncertain, as to be looked upon by its possessor as matter rather of painful memory than of either interest or profit, the advocates of the old system of classical education have certainly no easy task to maintain their position.

Without, however, entering upon the whole question of the necessity or the value of what is called a classical education, for which this is obviously not the place, the translator believes that the objection as above stated would gradually be deprived

of much of its force and truth by substituting in the place of the greater part of the original composition, now so universally required, a large and careful employment of translation, oral and written, in the routine of our schools.

With the hope of calling attention to this subject, and not as proposing a model for imitation, he has ventured to submit to public criticism the present somewhat novel production. He trusts that, however inadequate the translation may be to express the force and grandeur of the original, it may, thanks to a revision by more than one eminent scholar, be found substantially correct.

TABLE OF CONTENT.

- Dramatis Personae
- Actus I
- Actus II
- Actus III
- Actus IV
- Actus V
- Transcriber's Notes

DRAMATIS PERSONÆ.

- JULIUS CÆSAR.
- *Triumviri.*
  - OCTAVIUS CÆSAR,
  - MARCUS ANTONIUS,
  - M. ÆMILIUS LEPIDUS,
- CICERO, PUBLIUS, POPILIUS LENA, *Senatores.*
- *Conjurati.*
  - MARCUS BRUTUS,
  - CASSIUS,
  - CASCA,
  - TREBONIUS,
  - LIGARIUS,
  - DECIUS BRUTUS,
  - METELLUS CIMBER,
  - CINNA,
- FLAVIUS, MARULLUS, *Tribuni Plebis.*
- ARTEMIDORUS, *Sophista, e Cnido.*
- ARUSPEX.

- CINNA, *Poeta. Alius quidam Poeta.*
- LUCILIUS, TITINIUS, MESSALA, CATO minor, VOLUMNIUS, *Bruti et Cassii Comites.*
- VARRO, CLITUS, CLAUDIUS, STRATO, LUCIUS, DARDANIUS, *Bruti Famuli.*
- PINDARUS, *Cassii Mancipium.*

- CALPURNIA, *Cæsaris Uxor.*
- PORTIA, *Bruti Uxor.*
- *Senatores, Cives, Famuli, &c.*

Agitur, primum Romæ: dein Sardibus: postea ad Philippos.

JULII CÆSARIS.

ACTUS I.

SCENA I.

ROMÆ *Via quædam.*

FLAVIUS, MARULLUS, CIVIUM TURBA.

Flav.—Hinc, domum, ignavi; apagite, domum; num hodie ferias agitis? Quid? Nescitisne nefas esse cuivis artifici die profesto deambulare, nisi insignibus artis suæ induto? Heus tu! Cujusnam artis tu artifex?

Civis 1.—Ego, domine, faber lignarius.

Mar.—Ubi ergo vestis coriacea? ubi regula? quid vult vestitus iste nitidior? Heus et tu; quamnam et tu artem?

Civis 2.—Nullam sane artem ego, domine; opifex sum inops, non artifex.

Mar.—Qualis ergo opifex? Statim dicas.

Civis 2.—Honestus, spero, neque infimus; quamvis inter ima hominum versor.

Mar.—Quale opus, impudens? quale opus tuum?

Civis 2.—Ne, domine, rumparis. Sin te ruperis, ego te consuere possum.

Mar.—Mene consuere? quid vis, procax?

Civis 2.—Calceos nempe tuos, domine.

Mar.—Ergone sutor es?

Civis 2.—Immo, sutor, et totus in subulâ: nîl ego ultra crepidam. Calceorum veterum chirurgus sum; illos, quantumvis ægros, redintegro. Eorum qui bovino corio insistunt, nulli decentiores quam qui operi meo innituntur.

Mar.—Quare autem hodie foris? Quid est quod hosce tecum circa vias ducis?

Civis 2.—Quid? nisi ut calceos terant, quos ad me reparandos ferant. Sed tamen, ut verum dicam, domine, ferias agimus, ut Cæsarem spectemus, et in ejus triumpho lætemur.

Mar.—Et quapropter "lætemur?" Quam victoriæ mercedem secum iste retulit? Quot captos duces, qui devincti currum ejus triumphalem exornent? O vos stipites, O lapides, O si quid sit istis magis iners stupidumque; O dura ilia; O Romani excordes; nonne Pompeium meministis? Quoties in muros et crepidines, in turres fenestrasque, immo atque in summa tectorum culmina scandebatis, infantibus vobiscum adductis, et diem totum ibi insidebatis, quam patienter expectantes dum Magnus per Romæ vias pompam duceret: curruque ejus vixdum viso, nonne vos tantum clamorem tollebatis, ut ipse contremeret Tiberis, strepitu per concavas ripas replicato? Iidemque nunc induitisne vestitum lautiorem, ferias injussi agitis, et flores coram illo ipso spargitis, qui super Pompeii cadaver triumphans incedit? Abite! domos festinate, flexisque genibus Deos supplicate, ut stragem ingratis animis summo jure debitam avertant.

Fla.—Ite, redite, mî boni; et, ut culpam eluatis, vos, et vestrûm consimilis turba, ad Tiberim adstantes, lacrymas in alveum instillate, donec, amnis, modo tenuis, exundans summam ripam supersiliat.

[*Exeunt* CIVES.

Viden' ut vilis ista fæx plebis movetur! taciti consciique dilabuntur. Tu illac ad Capitolium; ego hac: statuas, si quas exornatas inveneris, denuda.

Mar.—Nonne nefas? Lupercalia agimus.

Fla.—Quid ad rem? Nullam statuam Cæsaris tropæis exornari decet. Ego circumibo, vulgusque de viis compellam; idem fac et tu, sicubi confertos videas. Plumis hisce nascentibus de alâ avulsis, altius Cæsar se levare non poterit, qui harum ope trans oculos volitaret, nos omnes, utpote servos, de cælo territurus.

[*Exeunt.*

SCENA II.

ROMÆ *Platea quædam.*

Pompa quædam. CÆSAR, ANTONIUS (*in cursum paratus*), CALPURNIA, PORTIA, DECIUS, CICERO, BRUTUS, CASSIUS, CASCA, *Turba pone sequens*, ARUSPEX.

Cæs.—Calpurnia,—

Casc.—Tacendum. Cæsar loquitur.

Calp.—Adsum, Cæsar.

Cæs.—Antonio cursum agenti te obviam habeto. Antoni—

Ant.—Quid? Cæsar, domine.

Cæs.—Ne negligas, Antoni, cursûs studio, Calpurniam tangere: fertur enim ab antiquis mulieres hoc sacro currentium tactu sterilitatis vinculis exsolvi posse.

Ant.—Non negligam: quum Cæsar 'Fiat' dixerit, factum est.

Cæs.—Ordinentur jam ludi, et ne quis absit ritus.

[*Musica. Tubae.*

Arusp.—Cæsar—

Cæs.—Quis me vocat?

Casc.—Taceant omnes. Taceant, inquam.

[*Silent tubæ.*

Cæs.—Quis ex turbâ me appellat? Vocem audio exsuperantem tubas, quæ Cæsarem clamat: Dic iterum; Cæsar dat aurem.

Arusp.—Idus caveto Martios.

Cæs.—Quisnam ille est?

Brut.—Aruspex, qui te cavere Idus Martios jubet?

Cæs.—Coram adducite, ut intuear.

Casc.—Heus tu, e turbâ veni; in Cæsarem converte oculos.

Cæs—Jam quid ais? repetas velim.

Arusp.—Idus caveto Martios.

Cæs.—Somniat iste; eamus.

[*Exeunt*—BRUTO CASSIOQUE *relictis*.

Cass.—Annon ad ludos spectandos, Brute?

Brut.—Minime quidem.

Cass.—Venias, precor.

Brut.—Non sum ad ludos aptus. Carei Antonianâ istâ alacritate. Ne autem tibi impedimento sim, abibo.

Cass.—Jamdudum te observo, Brute. In vultu tuo minus quam olim benignitatis et amoris erga me elucescit: te nimis durum et severum habes in amicum amantissimum tui.

Brut.—Erras, mî Cassi: si quando aspectum hunc meum mutaverim, non nisi in memet ipsum mutavi. Jactatus sum nuper variis quibusdam animi motibus, cogitationibus mihimet ipsi propriis, quæ me fortasse austeriorem faciunt. Sed ne idcirco doleant mei, (quorum tu Cassi, semper esto) neve neglectum meum alioqui

interpretentur, quam quod Brutus infelix, ipse sibi confligens benevolentiam suam non satis constanter indicet.

Cass.—Ergo, Brute, mentem tuam hactenus parum intellexi; ideoque cogitationes quasdam graves, neque indignas, in hoc sinu meo, quasi in sepulchro habui. Dic mihi, Brute optime; num in faciem tuam potes ipse inspicere?

Brut.—Nequaquam, Cassi; oculos enim non seipsum intuetur, nisi in speculo quodam depictum.

Cass.—Verum dicis. Multum igitur dolemus, Brute, te non istiusmodi speculo potiri, quod virtutes occultas tuas tibi aperte reddat, ut tuam ipsius imaginem agnoscere queas. Audivi quidem, cum plures optimi in Româ, divo Cæsare excepto, de Bruto colloquerentur, et sub hujusce sæculi jugo gementes optarent nobili Bruto suos oculos non deesse.

Brut.—Quænam in discrimina me vis, Cassi, ducere, qui, ut id a meipso exposcam quod meum non est, me ita provoces?

Cass.—Idcirco, Brute optime, auscultes velim; et quum fatearis te non in posse imaginem tuam, nisi aliâ quadam materiâ repercussam, inspicere, ego, tanquam ipse speculum, ea quæ, quamvis tua sint, teipsum adhuc latent, modeste tibi ostendam. Et ne me suspectum habeas, Brute, utpote levem assentatorem, solitumque, Dîs invocatis, amorem meum cuilibet obtrudere. Quod si cognoveris me quemvis adulari, amplectique; dein eundem calumniari; vel me in epulis compotori cuilibet præcordia aperire, me cavendum esse concedam. [*Tubae, acclamationes.*

Brut.—Sed quid vult acclamatio ista? vereor ne plebs Cæsarem regem fecerit.

Cass.—"Vereor" dicis? Habeo igitur te nolle Cæsarem regem.

Brut.—Nollem, Cassi; eum tamen bene diligo. Sed quare me hic tamdiu moraris? Quid est quod mihi communicatum velis? Si quid, quod ad Reipublicæ bonum spectat, ex hac parte honorem, ex illâ mortem proponas; ego in alterutrum æquis oculis inspiciam. Ita enim me Dî adjuvent, plus apud me valet honesti nomen quam mortis timor.

Cass.—Istam in te esse virtutem, Brute, non minus quam lineamenta oris tui agnosco. Age vero; honor sermonis nostri argumentum esto. Quid nimirum tu et populares nostri de hac vivendi conditione censeant non satis scio; sed, quod ad me attinet, malim omnino non vivere, quam ita vivere, ut alium quemvis, mihi ipsi similem et æqualem, continue pertimescam. Uterque nostrûm, æque ac Cæsar, liber natus et nutritus: uterque nostrûm, æque ac Cæsar, hibernum gelu potest pati. Olim, memini, die ventoso frigidoque, cum turbidus Tiber ripas indignabatur, mihi Cæsar, "Audesne, Cassi, mecum in iratas illas undas insilire, et ad adversam ripam natare?" Dicto, togatus insilui, eum sequi jubens. Secutus est Cæsar; et uterque nervosis brachiis huc illuc fluctus rejicientes animose in adversum contendimus. Sed priusquam ad metam adventum est, "Fer opem Cassi," clamitabat Cæsar, "ne peream." Tum, ut Æneas, atavus illustris noster, ex Ilio flagrante senem Anchisem humeris deportavit, ita ego ex Tiberinis fluctibus Cæsarem defatigatum eripui. Ecce autem! idem iste Cæsar nunc Divus habetur: Cassius vilis est, et ad merum Cæsaris nutum corpus inclinare coactus. Olim in Iberiâ hic Cæsar in febrem incidit; notabam ego ut, ingravescente morbo, tremeret: immo, Divus hic tremebat. Notabam labia ejus præ timore pallescere; istiusque oculi aciem hebetari, cujus obtutu totus jam trepidat terrarum orbis. Gemere illum præterea audiebam. Immo, et illa ipsa lingua, quæ nuper civibus Romanis jussit

verba observare, et in tabellis inscribere, ea, inquam, lingua, "Eheu, da mihi potum, Titini;" flebiliter clamitabat, more puellulæ ægrotantis. Dii immortales! stupeo attonitus hominem vili adeo et male temperato animo totius humani generis majestatem antecedere, et palmam solum sibi auferre potuisse.

[*Acclamationes. Tubæ.*

Brut.—Acclamationes iterum audio. Vix dubito quin hi plausus novos quosdam honores in Cæsarem cumulatos indicent.

Cass.—Quid mirum, mi bone! Ille, veluti colossus alter, orbem hunc angustum, divaricatis cruribus, superstat; et nos, pusilli, nanique, subter hujus ingentia crura repimus, timide circumspicientes, modo liceat sepulcra, etiamsi inhonesta sint, nobismet reperire. Quid tamen! singulo nos nostræ ipsorum fortunæ aliquando imperamus. Non astra, mî Brute, sed nosmet ipsi inculpandi, si inferiores existimus. "Brutus," "Cæsar:" quid nimirum in isto "Cæsare?" Cur nomen hoc magis quam illud per aures hominum resonet? Ambo simul inscribas; tuum non minus decorum est; ambo voce pronuntientur; tuum non minus ora hominum complet; ambo expendas; tuum non minus grave est; ambobus ad manes evocandos utaris; Bruti nomini non minus quam Cæsaris manes obsequentur.

[*Acclamationes.*

Nunc, per Deos omnes et singulos, quali cibo nutritus est hic noster Cæsar ut in tantum creverit? Ætas nostra, tui te pudeat! O Roma, illustrium virorum stirpe orbata es! Quando enim præteriit ætas ulla post Deucalionem, quæ uno solo, quantumvis eximio, viro inclaruerit? Quando ante hæc nostra tempora, quisquam, de Româ sermonem habens, dicere potuisset, ingentem ejus ambitum uni soli sufficere? Hæc Roma nostra profecto eadem videtur; et Romæ abunde loci est, quæ unum tantummodo virum in se hodie complectatur. Proh pudor! ego et tu, Brute, a patribus nostris accepimus quemdam olim fuisse Brutum qui κακοὺς quos δαίμονας pompam regni Romæ ostentare non minus quam Regem pertulisset.

Brut.—Amori tuo, Cassi, nunquam diffisus sum. Quid istud sit ad quod me provocatum velis partim suspicor. Quid autem, et de hac re, et de his temporibus ipse jamdudum cogitaverim, postea tibi explicabo. In præsenti, obsecro te, per amorem nostrum, ne mihi amplius instes. Quæ jam locutus es, perpendam; quæ postea locuturus sis, patienter audiam: et tempus inveniam aptum et ad audiendum, et ad, ut in re tam gravi, respondendum. Interea, mî Cassi, hanc meam sententiam rumineris velim: Brutum malle paganum esse, quam sub horum temporum conditionibus, præsentibus futurisque, se civem Romanum inscribere.

Cass.—Gaudeo me, tenui sermone licet, scintillam, vel tantulam, ex Bruto excudisse.

[*Redit* CÆSAR *cum suis*

Brut.—Transacti ludi sunt: redit Cæsar.

Cass.—Cascæ prætereuntis manicam velle: ille, acri more suo, nobis, si quid hodie momenti acciderit, narrabit.

Brut.—Faciam:—sed animadverte, Cassi—quæ in Cæsaris fronte iratæ ferveant maculæ! qui aliis omnibus demissi et castigati vultus! Pallet Calpurniæ gena; et Cicero oculis mustelinis igneisque intuetur, uti in Capitolio solet, si aliquando Senatores illi male obtemperaverint.

Cass.—Casca quid sit nos certos faciet.

Cæs.—Antoni.

Ant.—Quid jubes, Cæsar?

Cæs.—Qui mihi astant, Antoni, obesi sint; bene curatâ cute; qui noctem edormiunt. Cassius iste aspectu macro nimis aridoque est. Cogitat nimis. Tales cavendi sunt.

Ant.—Ne illum metuas, Cæsar; non est ille cavendus; bene natus est, optime affectus.

Cæs.—Utinam pinguior esset:—nihil metuo tamen: sin autem Cæsaris nomini aliquid cum formidine commune esset, neminem novi quem æque vitandum judicarem, ac macrum istum Cassium. Multa legit; notat multa; acta hominum usque ad imum perspicit; ludos non, ut tu, Antoni, frequentat; musicam fastidit; raro faciem in risum relaxat; aut si unquam riserit, id quasi seipsum irridens facit, et sui animi contemptu, qui ad hoc ullomodo moveri possit. Tales semper ægre ferunt, si quando alium sibi ipsis superiorem animadverterint: idcirco imprimis cavendi sunt. Quod vulgo metuendum est, non quod ego metuo, tibi ostendo; ego enim Cæsar. Sed veni in dextram, alterâ enim aure surdior sum, et dic mihi quid de illo vere censeas.

[*Exit* CÆSAR *cum suis—manet* CASCA.

Casc.—Togam meam, Brute, vellebas; visne aliquid loqui?

Brut.—Immo, Casca; dic nobis quid hodie acciderit ut Cæsar aspectum adeo tristem et severum ferat.

Casc.—Quid? Nonne et tu cum eo eras?

Brut.—Si cum eo fuissem, quid istud fuerit non a Cascâ peterem.

Casc.—Diadema nempe illi oblatum erat: oblatumque ille, versâ manu, ad hunc morem dimovit; plebs statim acclamavit.

Brut.—Cur autem iterum plausus iste?

Casc.—Propter idem.

Cass.—Ter plaudebant; quid tertius iste clamor?

Casc.—Propter idem.

Brut.—Num igitur ter oblatum erat diadema?

Casc.—Scilicet, ter; et ille ter repudiavit; sed lentius lentiusque; plebs autem simplex et ingenua in singulam quamque vicem vehementius plaudebant.

Cass.—Quis illi diadema obtulit?

Casc.—Quis nisi Antonius?

Brut.—Rem totam nobis, optime, enarra.

Casc.—Peream, si potero. Meræ ineptiæ erant. Vix notabam. Vidi tamen M. Antonium diadema illi offerre;—nec tamen diadema, corollam potius talem qualem

—et, ut antea dixi, ille eam pro hac vice dimovit. Nihilominus tamen, ut opinor, eam desiderabat. Tum iterum obtulit Antonius; dimovit iterum Cæsar: sed, me judice, ut manus abstineret vix sibi persuasit. Tum tertio obtulit; ille tertio dimovit. In unamquamque vicem ululabat turba, scabris manibus plaudebat, pileos sordidos sursum jactabat, tantumque male olentis halitûs emittebat, eo quod Cæsar corollam rejiceret, ut Magnus ille pene suffocaretur: ibi enim animo defecit, et succubuit: equidem, quod meum erat, non ausus sum ridere, ne, ore aperto, fædum et ipse halitum fœdum perciperem.

Cass.—Verumne dicis, Cæsarem animo defecisse?

Casc.—In ipso Foro collapsus est, mutus, spumamque ex faucibus edens.

Brut.—Morbo, fortasse, comitiali captus est.

Cass.—Non isto morbo Cæsar; sed tu, Brute, et ego, et bonus hic noster Casca, illo laboramus.

Casc.—Quid vis hercle non intelligo. Cæsarem collapsum certo scio. Et per fidem meam fæx ista populi ei plaudebat, et sibilabat, prout ille placebat aut displicebat, tanquam quivis actor esset.

Brut.—Quid vero dixit, quando in se rediit?

Casc.—Prius nimirum quam defecit, simul ac percepit vulgus lætatum esse quod ille corollam rejiceret, tunicam divellit, et guttur feriendum obtulit. (Quodsi ex eo grege unus fuissem, meum sit cum damnatis posthac in Erebo versari, si non illico percusissem.) Deinde collapsus est; et quando sui compos factus est, supplicabat istos præstantissimos suos, ut, si quid male fecisset aut dixisset, morbum, non ipsum, in culpâ haberent. Paucæ quædam mulierculæ, quæ mihi adstabant, 'O hominem miserandum' clamaverunt, et illi ex imo pectore condonaverunt. Sed quid vis? Istæ Cæsari non minus condonâssent, etiamsi matres earum trucidâsset.

Brut.—Deinde tristis, uti vidimus, rediit.

Casc.—Scilicet.

Cass.—Annon Cicero locutus est?

Casc.—Immo, Græce aliquid.

Cass.—Quânam, obsecro te, sententia?

Casc.—Per oculos, interpretari nequo! Qui intelligebant inter se ridebant, et capite annuebant: mihi certe Græcum quoddam erat. Jam vero aliud novi est quod vobis dictum velim. Marullus Flaviusque, ausi Cæsaris imaginibus ornatus detrahere in carcerem ducti sunt. Valeatis. Plus ineptiarum erat quarum vix satis memini.

Cass.—Cænamne hac nocte mecum, Casca?

Casc.—Nequeo, alibi jussus sum.

Cass.—Prandiumne cras?

Casc.—Immo, si vivus ego, et tu eâdem mente, et prandium gulâ dignum.

Cass.—Te expectabo.

Casc.—Bene est. Valeatis ambo.

[*Exit* CASCA.

Brut.—Obtusior sane hic noster factus est: apud scholam prompto eum ingenio memini.

Cass.—Atque adhuc promptus ad agendam rem aliquam gravem et honestam, etiamsi hunc obtusum morem præ se ferat. Asperitatem illam in sermonibus pro condimento uti solet, ut eorum major sit appetentia.

Brut.—Ita credo. Jam te relinquo: cras, si vis mecum loqui, aut ego ad te, aut tu ad me; ego domi manebo.

Cass.—Veniam ego. Valeas interim: de statu nostro mediteris.

[*Exit* BRUTUS.

Brutus ille vir profecto nobilis: accidit tamen ut metallum, quamvis generosum, in pejus cudi possit. Quam convenit ergo probos cum probis semper versari! Quis enim ita constans ut omnes illecebras aspernari queat? Cæsar me aversatur; Brutum amat: quod si ego Brutus essem, et Brutus Cassius, Cassius non Brutum immutaret. Hac nocte scripta quædam in Bruti fenestras injiciam, variâ manu, ut plurium esse videantur, quæ quanti eum Roma æstimet declarabunt, et quæ sit Cæsaris ambitio tectius indicabunt. Tunc cavet Cæsar; eum enim vel summovebimus, vel in pejus ipsi ruemus.

[*Exit.*

SCENA III.

Via quædam.

Ex hac parte CASCA, *stricto ense, ex illâ* CICERO.

Cic.—Salve, Casca: deduxistine Cæsarem? Sed quid vult iste anhelitus? cur distentis oculis stupes?

Casc.—Annon et ipse trepidas, quum tota terra, moles veluti instabilis, quassatur? O Cicero, vidi ego quercus nodosas vi turbinis furibundi disrumpi, oceanumque superbientem tumescere, spumare, furere, quasi gestiret se nubibus minacibus intermiscere: sed nunquam adhuc procellæ ignem stillanti interfui. Vel bellum civile inter se Dii gerunt, vel per hanc stragem homines insolentiores castigant.

Cic.—Ecquid igitur mirabilius vidisti?

Casc.—Servus quidam, tibi notus, sinistram, quasi ex viginti tædis exardescentem, sursum ferebat; nec tamen ignescebat manus. Mihi ipsi ad Capitolium (ecce ensem adhuc strictum) obviam venit leo, qui me torve intuens illæsum præteribat: pavidæ mulieres in globum coactæ terrore ipsâ facie mutatâ, jurabunt vidisse viros ignibus succinctos perambulare vias. Heri, meridie ipsâ, noctua in foro sedebat, stridens, ululansque. Quum hæc et talia concurrunt, ne quis dicat, "Hoc aut illud in causâ est, —Hæc omnia secundum naturam sunt." Ego enim ea esse credo quæ, in quamcunque regionem demissa fuerint, portentosum aliquod mox adfuturum denuntient.

Cic.—Fateor tempus extra ordinem esse: accidit tamen ut homines signa, sensu plane signis ipsis opposito, pro arbitrio non raro interpretentur. Cæsarne cras ad Capitolium?

Casc.—Procul dubio; Antonio enim jussit ut te certiorem faceret.

Cic.—Vale, ergo, Casca: hæc tempestas vix sub dio sustinenda est.

Casc.—Vale, Cicero. [*Exit* CICERO.

CASSIUS.

Cass.—Quis ibi?

Casc.—Romanus.

Cass.—Vocem Cascæ agnosco.

Casc.—Aures non te fallunt. Quæ sit hæc nox, Cassi?

Cass.—Honestis gratissima.

Casc.—Quis unquam cœlos adeo minaces noverit?

Cass.—Qui terram adeo sceleribus confertam noverit.—Ego quidem vias perambulavi, noctis hujusce periculis obnoxius; et discinctus, uti vides, Casca, pectus in fulgura nudavi. Immo etiam, cœli gremio contortis quasi fulminibus diffisso, me in ipsum ictum aciemque opposui.

Casc.—Heus! quare tantum cœlos provocasti? Humanum est refugere et trepidare, quum Dii omnipotentes hæc signa, tam diros iræ suæ præcones, in terram demittunt.

Cass.—Piger es, Casca; vitalibusque iis scintillis quæ Romanum decent, vel cares, vel fovere non vis: palles, stupesque; stas metuens et attonitus, propter has novas cœlorum minas: sed si veram causam exquirere velis, quare ignes isti, larvæque fluitantes circum; quare aves et feræ naturas suas insitasque facultates sic in portentosam speciem mutent; quare delirent senes, pueri præsagiant; disces hæc omnia a Diis ita disponi, ut alicujus diri eventûs omina et cautelæ fiant. Equidem possem, Casca, tibi virum nominare, huic diræ nocti, quæ tonitrua et fulgura tam mira ostentat, manes evocat, rugitque, sicut leo in Capitolio, simillimum; virum neque te ipso, neque me, agendo præstantiorem, portentosum tamen et timendum non minus quam hæc Naturæ monstra.

Casc.—Cæsarem, ut opinor, indicas.

Cass.—Quem indicem parum refert: Quirites enim hodierni nervos et membra, qualia avi, jactant; sed, proh pudor! patrum nostrorum animi mortui sunt; matrum consiliis gubernamur. Hæc enim sub jugo servilis patientia nos mulieres arguit.

Casc.—Fertur Senatum cras Cæsarem Regem edicturum esse; eâ conditione, ut diadema, ubicunque velit terrâ marique, exceptâ Italiâ, gerat.

Cass.—Quæ si edixerint, quâ deinde ego hunc gladiolum geram satis scio. Cassius a servitio Cassium liberabit. Dî superi! Hoc vestro munere imbecilli valent, tyranni incassum furunt: non enim turris lapidea, non murus aheneus, non carcer clausus, validi non vincula ferri, animam hanc cohibere valent. Vita, hujus custodiæ

corporeæ pertæsa, viam sibi aperire semper callet. Quod si ego bene noverim, sciant omnes, me, quodcunque mihi tyrannis onus imposuerit, id pro arbitrio discutere posse.

Casc.—Sic ego, et sic servus quivis, propriâ manu servitutem suam solvendi facultatem habet.

Cass.—Quare igitur Cæsar tyrannus? O hominem infelicem! Non lupum ageret, nisi quod Romanos oves esse cerneret; non leonem, nisi quod vitulos. Qui incendium properari volunt, ex levi quavis stipulâ ordiuntur. Quam sordida et fæculenta moles hæc nostra Roma est, quæ nihil valet nisi ut ad vilem istum Cæsarem illustrandum materiem suppeditet! Sed, O dolorem meum! quo me perduxisti? Forsan hoc coram servo libenti et assentatore locutus sum. Quod si ita est, luendum scio. Esto; ensem gero, et discrimen contemno.

Casc.—Casca sum—non sycophanta, neque perfidus. Manum accipe: si quando in hæc mala nostra pro virili insurrexeris, ego inter primos ero.

Cass.—Pactum est. Nunc licet scias, Casca, me jamdudum quibusdam optimis nostris persuasisse, ut mecum rem honestam, in primis periculosam, suscipiant; qui jam me in porticu Pompeii expectant. Hac enim nocte vix unus quivis vicos tenet; ipsa tempestas speciem gerit nostro operi consentaneam, quam maxime cruentam, igneam et terribilem.

CINNA.

Casc.—Tace. Advenit quidam pede concitato?

Cass.—Cinna est; gressum agnosco; nobis amicus. Cinna, quo properas?

Cin.—Ut te inveniam. Quis iste? An Metellus Cimber?

Cass.—Casca est; unus ex nostris. Num me nostri expectant, Cinna?

Cin.—Gratulor ob Cascam. Quam plena metu est hæc nox! Ex nobis sunt qui mirabilia viderunt.

Cass.—Dico tibi, Cinna; num me expectant nostri?

Cin.—Immo: O Cassi, si tantum Bruto nobili partium nostrarum esse persuadere posses.

Cass.—Contentus esto. Cape hanc tabellam, mî bone, et in prætoris sedili ita ponas, ut Brutus eam inveniat; hanc in fenestram ejus injice: hac statuam Bruti grandævi incera: dein ad porticum Pompeianum; ibi nos reperies. Num Decius Brutus et Trebonius ibi sunt?

Cin.—Scilicet, omnes, Metello Cimbro excepto, qui te domi tuæ quærit. Abeo, ut has tabellas pro jusso disponam.

Cass.—Deinde ad theatrum Pompeianum.

[*Exit* CINNA.

Veni, Casca; nos Brutum domi suæ adhuc jam nocte visemus: tres ejus partes jamdudum habemus; uno altero congressu totus noster erit.

Casc.—Ille profecto in corde populari penitus insedit; et quod a nobis factum offensæ foret, illius consensu, quasi aurum ex plumbo arte magicâ confectum, in rem honestam et laude dignam mutabitur.

Cass.—Hominem, pretium hominis, necessitatemque nostram recte æstimas. Eamus; nox enim jam media est; et priusquam lux advenerit, nos eum e somno excitatum omnem nostrum faciemus.

[*Exeunt.*

ACTUS II.

SCENA I.

BRUTI *Pomarium.*

BRUTUS.

Brut.—Heus, Lucius! heus, tu!—hora quota est? nequeo per astrorum cursus conjicere. Lucius, inquam! Ah utinam istiusmodi sopor meus esset, quamvis culpandus. Huc, Lucius, huc; expergiscere, Lucium voco.

Luc.—Mene, domine, vocabas?

Brut.—Lucernam in bibliothecam, Lucius; accensâ, redi ut sciam.

Luc.—Factum erit, domine.

[*Exit.*

Brut.—Viam nullam invenio nisi morte ejus. Certe quod meum est, nihil habeo quare de illo querar: causa publica est. Regiam coronam appetit:—quæ hujus vis in naturam ejus futura sit, subit quæstio. Sol viperas in lucem edit; tunc ambulantibus cavendum est. Detur—coronam damus—tunc, fateor, aculeo illum armamus, quo in nostram injuriam damnumque uti poterit. Tyrannidis hæc culpa est, quod pietatem et misericordiam ab imperantis statu sejungere solet. Nec, ut verum dicam, unquam novi voluntatem et affectus Cæsaris plus apud eum quam consilium valuisse. Ambitio autem adolescens, uti ex exemplis patet, modestiam scalarum vice usurpat; in quas, dum scandit, oculos figit; at, simul ac apicem occupaverit, subito se convertit, cœlum suspicit, et viles, per quos ascenderat, gradus contemptim despectat. Sic fortasse Cæsar: idcirco, ne sic, præveniendum. Et cum lis nostra vix satis adhuc coloris præ se ferat ad hoc facinus vindicandum, huc rem reducimus; Cæsarem imperio addito, in pejus pejusque ruiturum; agendumque cum eo veluti cum pullo serpentis, quem, ne, suorum more, noxius excludatur, in ovo extingui necesse est.

LUCIUS.

Luc.—Lucerna, domine, in bibliothecâ accenditur. Silicem apud fenestram quærenti hæc charta obsignata mihi in manus venit: dormitum iens non vidi, neque profecto ibi erat.

Brut.—Redi, puer, ad lectum; nondum diluculum est. Annon cras idus Martii?

Luc.—Here, nescio.

Brut.—Fastos inspice, et renuntia mihi.

Luc.—Faciam.

[*Exit* LUCIUS.

Brut.—Fulgura per aerem coruscantia, satis lucis reddunt ut legam.

[*Chartam explicat et legit.*

"Brute, dormis; expergiscere, ut te ipsum videas. An Roma ——? Eloquere, feri, ulciscere! Dormis, Brute, expergiscere ——" Hujusmodi incitamenta sæpius obiter disposita offendi. "An Roma ——?" Sermo sic complendus. An Roma reformidabit unum? Quid—Roma? Avi mei ex Romæ viis Tarquinium expulerunt, quamvis Rex nominabatur. "Eloquere, feri, ulciscere!"—Mene rogas ut eloquar, ut feriam? O Roma, si sic ulciscenda eris, omnia, uti poscis, se pro virili facturum spondet Brutus.

Luc.—Here, quatuordecim dies Martii effluxerunt.

[*Fores pulsantur.*

Brut.—Bene est. Ad portam; pulsat aliquis.

[*Exit* LUCIUS.

Ex quo me in Cæsarem Cassius primum instigabat, dormire nequeo. Quod temporis inter actum rei diræ et conceptum intersit, phantasmati vel somnio horribili simile est. Tum inter se disceptant Genius et ministri voluntatis humanae, animi affectus; et tota hominis natura, civitatis angustæ instar, seditione quadam laborat.

LUCIUS.

Luc.—Here, Cassius tuus januam pulsat, et te videre cupit.

Brut.—Num solus est?

Luc.—Non, here; plures simul.

Brut.—Nôstine?

Luc.—Non, here; pilei enim in supercilia contracti, palliaque vultus circumfusa sunt, ut illos nequaquam agnoscere possim.

Brut.—Fac ut intrent. Hæc conjuratorum manus est. O conjuratio! Nonne audes noctu etiam vultum minacem tuum revelare, cum mala omnia liberrima sunt? O ubi igitur invenies antrum ita tenebrosum ut hanc monstrosam faciem tuam interdiu abscondere possis? Ne ergo antrum quæras; sed in risu et comitate delitescas: nam si foris eas, specie propriâ tuâ induta, non Erebi ipsius caligo ea est ut te indeprehensam habeas.

CASSIUS, CASCA, DECIUS, CINNA, METELLUS CIMBER, TREBONIUS.

Cass.—Vereor ne somnium tuum interruperimus. Salve, Brute; num importuni sumus?

Brut.—Horam circiter ex lecto sum; totam noctem vigilo. Novine qui tecum sunt?

Cass.—Scilicet, omnes: quorum nemo te non magni æstimat; et universorum civium de te judicium tibimet ipsi probari vult. Hic, Trebonius.

Brut.—Bene est.

Cass.—Hic, Decius Brutus.

Brut.—Bene.

Cass.—Hi, Casca, Cinna, et Metellus Cimber.

Brut.—Salvete omnes. At quæ cura intempesta vos vigilare facit?

Cass.—Verbum precor.

[*Inter se alii summisse loquuntur.*

Dec.—Hac parte oriens est: annon hac redit dies?

Casc.—Non, ut mihi videtur.

Cin.—Pace tuâ, Decius recte ait; lineæque istæ translucidæ, quæ nubes tingunt, solem prænuntiant.

Casc.—Utrumque erroris convincam. Qua ense monstro, sol exoritur, et in notum inclinat, quippe annus adhuc in juventute est: duobus inde mensibus, versus Septentrionem magis radios mane emittit, et oriens tunc recta spectat ad Capitolium.

Brut.—Singulus quisque det manum.

Cass.—Pactum jurejurando confirmemus.

Brut.—Nollem jurejurando. Si consensus hominum, si patientia nostra, si temporis hujus injuria per se non satis valent, pactum jam rumpamus et quisque in lectum suum ignavum hinc se recipiat. Dein superbiens tyrannis progrediatur, donec unusquisque nostrûm invicem quasi sortito deperierit. Sed si hæc, quod affirmare audeo, satis ignis habent, ut timidos incendant, et muliebres etiam animos in audaciam cudant, quo stimulo ad ulciscendum, nisi causâ ipsâ, indigemus? Quo alio pacto, nisi quod Romani sumus, inter nosmet clam fœderati? Quo jurejurando; nisi quod probi cum probis consentimus, nos vel hoc facturos vel perituros? Sacerdotibus nimirum jurejurando opus est; hominibus timidis, et cautis; senibus semimortuis, inertibusque iis qui injurias libenter accipiunt: istis denique qui, in pravam causam addicti, non fide digni sunt: sed ne nos incepti nostri æquitatem, ne effervescentem animorum temperiem ita inquinemus, ut vel causam nostram, vel nos ipsos, qui eam acturi sumus, jusjurandum flagitare putemus; cum singula quæque gutta sanguinis qui per venas Romani cujusque fluit, adulterio quodam depravata fuerit, si particulam quantulamcunque fidei pactæ suæ quivis nostrûm infirmaverit.

Cass.—Quid autem de Cicerone? Num tentandus est? Me judice, nobiscum quam libentissime consentiet.

Casc.—Ne eum omittamus.

Cin.—Nequaquam.

Metell.—Ille maximi erit; cani enim ejus capilli nobis et facinori nostro bonam hominum opinionem coempturi sunt. Rumor ibit prudentiam ejus manus nostras direxisse, et juventutis nostræ libido sub illius gravitate tuta latebit.

Brut.—Ne in isto, precor, moremur; neque in concilium admittamus; alienis enim inceptis ille nunquam obsecundare vult.

Cass.—Eum igitur omittamus.

Casc.—Certe non idoneus est.

Dec.—Nemone præter Cæsarem amovendus?

Cass.—Prudenter hoc Decius. Me judice, non oportet M. Antonium, Cæsari adeo dilectum, Cæsari superesse. Virum enim sagacem et subdolum experiemur, et, ut nos lædat, modo vult, satis capacem: quod ne eveniat, pereat Antonius simul cum Cæsare.

Brut.—Truculentiores videbimur, Caie Cassi, si, capite abscisso, membra dilacerabimus; quippe in vivum irati, in mortuum item invidi: Antonius enim nil nisi membrum Cæsaris est. Sacrificiorum, Caie, non laniorum, rem agamus. Contra enim animam Cæsaris nos omnes contendimus; in animâ autem non inest sanguis. O, si possemus, animam Cæsaris prehendere Cæsare ipso integro! Eheu non possumus! Interficiendus est Cæsar! Eum tamen, ut in nullo metu, ita nec in irâ occidamus; et quasi Diis escam, uti decet paratam, potius apponamus, quam quasi canibus prædam dilaniemus: atque corda nostra dominos sagaces imitentur, qui cum ministros suos in furoris impetum præcipitaverint, acto facinore, eosdem illico increpare solent. Sic consilium nostrum necessarium, non invidiosum, videbitur, et nos potius ultores quam sicarii audiemus. Quod ad M. Antonium, ne illum formidandum putemus. Iste enim nihil magis valebit, quam Cæsaris brachium, Cæsaris capite abscisso.

Cass.—Formido tamen: insitus enim ejus erga Cæsarem amor—

Brut.—Indignus est ut in eo moremur, Cassi. Si Cæsarem vere amat, in neminem, nisi in seipsum, agere poterit: subtristior fiat, et propter Cæsarem moriatur: quod tamen vix ab eo expectandum est; ludis enim, licentiæ, commissationique addictus est.

Treb.—Nihilo metuendus est: ne pereat: superstes hæc postea lusu habebit.

Brut.—Hora quota est?

Cass.—Clepsydra nonam indicat.

Treb.—Abeundum.

Cass.—Sed adhuc incertum est utrum Cæsar foris hodie iturus sit; quippe, superstitiosus nuper factus, quæ olim contemnebat, phantasmata, somnia, prodigia, nunc magni æstimat. Fortasse hæc manifesta portenta, insoliti hujus noctis terrores, augurumque monita, eum a Capitolio hodie prohibebunt.

Dec.—Ne solicitus sis. Propositum, qualecunque habet, per me immutabit: quippe qui libenter audiat unicornes per arbores, ursos per specula, elephantos per fossas, leones per retia, homines denique per adulatores, decipi posse. Sed quum eum non

ita decipi posse coram affirmaverim mihi arridet, ipse tum quam maxime deceptus. Hoc mihi curæ sit: eum quoquo velim flectere possum: ipse in Capitolium agam.

Cass.—Immo et nos omnes simul ad deducendum adfuturi sumus.

Brut.—Secundamne circiter horam? nec serius?

Cin.—Nequaquam serius: eâ horâ omnes prompti sitis.

Met.—Caius Ligarius Cæsarem ægre fert, quod eum de Pompeio bene dicentem Cæsar reprehenderit: miror neminem vestrûm illum tentasse.

Brut.—Tu igitur, Metelli, domum rediens eum visas: me amat: jamdudum tentavi: huc adductum in nostra fingam.

Cass.—Dies nos invadit: te relinquemus, Brute;—jam diversi eamus: pacti vero memores, nos Romanos demonstremus.

Brut.—Vultum festivum, mî boni, induamus, neque consimilem proposito nostro; et quemadmodum callidi actores, partes nostras gestu constanti et indefesso agamus. Jam valete omnes.

[*Exeunt. Manet* BRUTUS.

Luci! mî puer! quid! alte dormis? nil refert: mellito roscidoque sopore fruaris: dormis tranquille, quippe qui figurarum et phantasmatum, quæ in hominum cerebro cura importuna informare solet, inexpertus quiescas.

PORTIA.

Por.—Mî Brute, mî conjux!

Brut.—Portia, quid vis? quare e lecto hac horâ? non tuæ saluti convenit ut te vix satis validam matutinis frigoribus objicias.

Por.—Nec magis tuæ. Non benigne, non amanter, Brute, e lecto meo furtim evasisti. Ab hesternâ cænâ subito assurgens, meditabundus et suspirans, brachiis involutis, perambulabas. Me, quæ causa esset quærentem, obtutu severiori reprimebas: cum iterum urgerem, ungue fronti impresso, terram pede impatientius percutiebas. Quum insistebam, non minus tacebas; gestuque manûs irato ut abirem indicabas; quod facere non morata sum, metuens ne nimiam intemperiem in pejus irritarem, speransque nihil esse nisi, quod cuivis aliquando accidit, ut parum æquo animo esses. Verum! hoc, quodcunque est, te a cibo, a colloquio, a somno prohibet; et si oris habitus tantum, quantum mentis, immutari posset, equidem, Brute, vix te agnoscerem. O mî conjux carissime, doloris tui causam mihi impertiaris precor.

Brut.—Vix satis valeo; nihil magis.

Por.—Brutus prudens est, et si non valeret, se promte ad remedia reciperet.

Brut.—Ergo idipsum ago. Ad lectum, Portia mea.

Por.—Num Bruto ægrotanti convenit sic discincto ire, et matutini frigoris humores imbibere? Num Bruto ægrotanti ex tuto lecto se furtim subtrahere, ut malum noctis contactum petat, et gelidam noxiamque auram in suum malum invitet? Non ita est, mî Brute; quædam in præcordiis latet plaga, quæ, per gratiam meritumque conjugii nostri, mihi non abscondi debet. Te, per formam meam, olim tibi

commendatissimam, per amorem tuum in me toties promissum; per magnum illud fœdus nuptiale, quod nos in unum conjunxit, te, flexis genibus, obsecro atque obtestor, ut mihi, quæ pars animæ tuæ, vel potius tute ipse, sum, fatearis quare ita tristis sis; et qui sint hac nocte tecum collocuti: sex enim septemve, qui vel tenebris se confidere vix ausi sunt, ad te convenerunt.

Brut.—Genua ne flectas, dilectissima Portia mea.

Por.—Neque enimvero opus esset, modo tibi vere essem dilectissima, Brute. Sed dic mihi quæ sit pacti conjugalis vis: quatenus valet: num id exceptum habet, ut secretis tuis mihi non interesse liceat? ut non omnis tua sim, sed sub certo limite et modo? ut nimirum mensæ, tori, colloquii, aliquando particeps sim; ut in confiniis, non in penetralibus, cordis tui locum habeam. Quod si nihil ultra in me juris est, Portia Bruti concubina, non conjux.

Brut.—Ne ita aias. Vera et honestissima mihi conjux; cara mihi atque intima, oh! intima prout sanguis qui in hoc cor mœstissimum refluit.

Por.—Si sic, consilii tui non ignara essem. Fœminam me fateor; eam tamen quam Brutus pernobilis sponsam duxit. Fœminam; probatissimam tamen; Catonis filiam. Annon me tanto patre genitam, tanto viro conjunctam, cæteris fœminis fortiorem putas? Consilia dicas; non sum quæ prodam. Ecce! femori meo vulnus ipsius manu libenter datum, constantiæ pignus. An hoc passa silens, de mariti consiliis non silebo?

Brut.—Dii superi! me tam eximiâ uxore digniorem faciatis, precor.

[*Fores pulsantur.*

Sed—audisne—aliquis pulsat—in cubiculum redi, mî Portia; brevi deinde interioris propositi mei consors et particeps eris: quæ acturus sum explicabo, omniaque contractæ frontis meæ signa interpretabor: Sed nunc abeas precor, quam citissime.

[*Exit* PORTIA.

LUCIUS *et* LIGARIUS.

Quid est, Luci?

Luc.—Ægrotans quidam adest qui tecum loqui vult.

Brut.—Caius Ligarius est, de quo Metellus mentionem fecit. Abi, puer. Quid, C. Ligarie?

Lig.—Imbecillâ voce te salutem concedas precor.

Brut.—O fortis Caie, quam parum tempus convenit invaletudini tuæ? Utinam te non ægrum esse.

Lig.—Non æger sum, si Brutus honestum aliquod suscepturus est.

Brut.—Tale quid suscepturus sum, Ligarie; modo sanæ essent aures tuæ ad auscultandum.

Lig.—Per Deos omnes quos Roma colit, hoc puncto temporis morbum meum abjicio. Anima Romæ! Progenies fortis, honestis patribus orta! Tu veluti magicâ quadam

arte languescentem spiritum meum excitasti. Jam, te jubente, curram; in res inexpugnabiles contendam; immo ad effectum ducam. Quid ergo suscipiendum?

Brut.—Opus quod ægros sanos faciat.

Lig.—Annon sani quidam ægri faciendi?

Brut.—Vere quidem. Quæ res sit, Caie, plenius dicam dum istuc, ubi agendum, progrediemur.

Lig.—I præ; sequor; corde jam accenso, ut quamvis inscius agam. Sat mihi Brutum ducem novisse.

Brut.—Venias ergo.

[*Exeunt.*

SCENA II.

Atrium in Ædibus CÆSARIANIS.

Tonitrua fulminaque. CÆSAR *e lecto.*

Cæs.—Neque cœlum, neque terra, hac nocte quiescit. Ter in somno Calpurnia clamavit, "Ferte opem, adjuvate, Cæsarem occidunt." Quis intra?

FAMULUS.

Fam.—Quid vis, Domine?

Cæs.—Ut sacrificia confestim fiant, inspectisque victimis, mihi renuntientur.

Fam.—Factum erit, Domine.

[*Exit*

CALPURNIA.

Cal.—Quid vis, Cæsar? prodisne foris? Non per me tibi hodie licebit.

Cæs.—Cæsar prodibit. Quæ Cæsari minantur, nunquam nisi a tergo minantur: facie visâ evanescunt.

Calp.—O Cæsar, nunquam moris mei erat ut omina magni facerem: jam vero me perterrent. Præsto est qui, præter ea quæ ipsi vidimus audivimusque, dirissima signa a custodibus visa refert. Leænam mediâ viâ parturisse; hiâsse sepulcra, mortuos emisisse; turmas igneis ordinibus, et bellico apparatu inter nubila disposito concurrere; sanguinem in Capitolium pluere; clangorem prælii medio aere resonare; hinnire equos; gemere moribundos; manes circa compita plangere, et stridere. O Cæsar! hæc supra Naturæ modum sunt; hæc me perterrent.

Cæs.—Quid ergo homines evitare possunt, quod Dî superi fieri volunt? Cæsar nihilominus prodibit: hæc enim portenta universos, non Cæsarem solum, spectant.

Cal.—Ignobili morituro, nullæ ardent cometæ; perituro principe, cœli ipsi conflagrant.

Cæs.—Timidi sæpius, fortes semel tantum, mortem subeunt. Equidem vehementer admirari soleo qui sit iste hominum metus; quippe mors, malum ineluctabile, suum sibi tempus habet.

FAMULUS.

Quid augures ergo?

Fam.—Te hodie prodire nolunt. Extis enim victimæ evulsis, cor abfuit.

Cæs.—Nempe ut nos timidos esse pudeat monent Dii. Cæsar animal sine corde esset, si hodie præ metu domi se teneret. Nil tale Cæsar. Periculum ipsum Cæsarem seipso magis formidandum confitetur. Quippe nos ambo catuli ejusdem leænæ sumus, parti eodem die; sed ego senior natu audaciorque: Cæsar ergo prodibit.

Calp.—Eheu! mî Cæsar, fiducia tua prudentiâ major est. Ne hodie prodeas: timiditatem meam, si vis, non tuam, accuses. Marcus Antonius in Senatum eat, et te hodie minus valere nuntiet. Hoc te, flexis genibus, obsecro.

Cæs.—Ergo, Marcus Antonius me non valere dicat: ut tibi placeam, domi manebo.

DECIUS.

Ecce Decium Brutum; ille nuntius erit.

Dec.—Salve, Cæsar, et valeas: adsum ut te ad Senatum deducam.

Cæs.—Opportunus ades, ut Senatores mei vice salutes, et dicas me hodie venire nolle. Non posse, falsum esset, non audere, falsum magis; brevi, non volo. Hoc tu, Deci, refer.

Cal.—Dic Cæsarem ægrotare.

Cæs.—Cæsarne mendacium mittet? Egone victricem meam manum tam late tuli, ut metuam canis quibusdam senibus verum eloqui? I, Deci, dic me venire nolle.

Dec.—Maxime Cæsar, causam quamlibet, precor, addas, ne me nuntiantem irrideant.

Cæs.—Stet pro ratione voluntas: non ibo: hoc Senatu satis sit. Tibi autem, quod te amo, dicam, hanc Calpurniam meam me domi retinere. Causam prætendit, quod hac nocte in somno vidit statuam meam, fontis instar, e centum oribus sanguinem profundere; Romanosque plures robustos, et quasi exultantes advenire, qui manus in isto cruore lavarent. Hæc omnia in cautelam advocat; omina esse ait; malorum portenta: quare me ut domi maneam, flexis genibus, precata est.

Dec.—Pace vestrâ, non satis recte interpretata est. Felix esse faustumque istud somnium affirmo: nempe statua tua, multis ex oribus sanguinem profundens, in quo tot Romani exultantes se lavarent, hoc prædicit—Romam ex te sanguinem novum hausuram; illustresque viros a te, tuoque nomine, picturas, signa, reliquias, notasque sibimet expressuros esse. Calpurniæ somnium ita nos interpretari debere nullus dubito.

Cæs.—Optime interpretatus es.

Dec.—"Optime" quidem dices, cum quod amplius tibi nuntiandum habeo acceperis. Accipe ergo: Senatus decrevit diadema magno Cæsari, hoc ipso die conferendum.

Quod si te non venturum renuntiaveris, Senatus fortasse animum mutabit. Præterea jocus et ludibrium esset, si quis dicere posset, Senatum dimissum esse, donec Cæsaris uxor felicius somniaverit. Si Cæsar se absconderit, nonne Cæsarem formidolosum esse homines susurrabunt? Da veniam, Cæsar; ingens enim erga te amor, audacior fortasse, me ut loquar cogit.

Cæs.—Quam vani metus tui, Calpurnia? Pudet me iis modo obsecutum. Da mihi togam; prodire placet:—

PUBLIUS, BRUTUS, METELLUS, LIGARIUS, CASCA, TREBONIUS, CINNA.

Ecce Publius, qui me ut ducat petit.

Pub.—Salve, Cæsar.

Cæs.—Et tu, Publi.—Quid, Brute, et tu adeo matutinus? Salve, Casca. Caie Ligarie, Cæsar tibi non tam inimicus, quam febris ista quæ te macrum fecit. Hora quota est?

Brut.—Tertia est.

Cæs.—Gratias omnibus pro hoc studio vestro et comitate ago.

ANTONIUS.

Ecce etiam Antonius, qui serâ nocte commisari solet: hodie et ille tamen matutinus. Salve, Antoni.

Ant.—Salve, nobilissime Cæsar.

Cæs.—Festinent servi:—pudet me hujus moræ. Salve, Cinna:—Metelli, salve:—ah, Treboni! habeo de quo tecum largius loqui velim; ne tu mei obliviscaris, et mihi prope adsis, ne tui ego obliviscar.

Treb.—Non obliviscar, Cæsar. [*Seorsim*] Immo ita prope adero, ut qui te amant me longius abfuisse optaverint.

Cæs.—Ineamus; vini pocula quædam in promtu sunt. Deinde, amicorum instar, una ibimus.

Brut.—Eheu, Cæsar, quod omne instar non sit idem, Brutus ex imo corde deplorat.

SCENA III.

Via prope Capitolium.

ARTEMIDORUS, *epistolam legens.*

Art.—Cæsar, caveto Brutum; caveto Cassium; ne sit propior tibi Casca; Cinnam observa; Trebonio ne fidas; nota Metellum Cimbrum; Decius Brutus te non amat; Caium Ligarium injuriâ ipse affecisti. Una in his omnibus mens, atque ea infensa Cæsari est. Si non immortalis es, vigil esto. Securitas Proditioni opportunitatem dat. Di boni te protegant. Tui observantissimus, ARTEMIDORUS.

Hic Cæsarem prætereuntem expectabo, epistolamque meam, ut qui libellos supplices, ei in manus dabo. Piget me virtutem non posse extra invidiæ morsum

degere. Quod si legeris, Cæsar, fortasse salvus eris: sin aliter. Fata cum proditoribus conspirant.

SCENA IV.

Ejusdem viæ pars alia, prope BRUTI *domum.*

PORTIA, LUCIUS.

Por.—Hinc, puer, ad Senatum: ne respondeas; hinc quam citissime. Quid stas?

Luc.—Domina, ut quid vis intelligam.

Por.—Vellem te prius îsse et redîsse quam quod agendum sit dicere possim. O Constantia, adsis, adjutrix fias: molem, impedimenta quam maxima inter præcordia et linguam interponas. Vir corde, viribus fœmina sum. Ah! quam difficile est fœminæ secreta non proferre! Quæ jam in te mora, puer?

Luc.—Hera, quid agam vis? currendumne est ad Capitolium; nihil ultra? redeundum ad te; nihil ultra?

Por.—Hoc ultra, puer; referas qui sit aspectus domini tui: nam, quum foras ibat, ægrotabat: nota præsertim quid agat Cæsar: qui proxime supplicatum accedant. Ah! quis iste strepitus? Ausculta, sodes.

Luc.—Nullum, hera, audiebam.

Por.—Ausculta, dico tibi. Strepitus quidam tumultuosus ad aures, quasi rixantium, venit, vento delatus a Capitolio.

Luc.—Equidem, domina, nihil audio.

ARTEMIDORUS.

Por.—Huc, mî bone; unde venis?

Art.—Domo meâ, domina.

Por.—Hora quota est?

Art.—Circiter tertiam, ni fallor, domina.

Por.—Cæsarne adhuc in Capitolium?

Art.—Non adhuc, domina. Ipse stationem quæro, unde eum istuc procedentem videam.

Por.—Num aliquid a Cæsare petiturus es?

Art.—Scilicet, domina: modo Cæsar Cæsari ita amicus sit ut mihi aurem det, obsecrabo ut sibi ipsi caveat.

Por.—Quid? novistine aliquod periculum ei impendere?

Art.—Nullum quod noverim, multum quod veritus sim. Valeas, domina. Via hac angustior est, et turba quæ stipat Cæsarem, Senatorum, Prætorum, et de plebe

supplicantium viro infirmiori gravis erit. In locum minus confertum memet recipiam, ex quo magnum Cæsarem compellare possim.

[*Exit.*

Por.—Domum redeundum est.—Hei mihi! Quam debile cor fœmineum! O Brute! Di te adjuvent! Ah vereor ne hoc puero in aurem venerit. (*Ad puerum*) Nempe Brutus rogationem profert, cui Cæsar vix satis favet. Eheu! vires deficiunt meæ:—hinc, puer; dominum salutes, dic me festivi animi esse, et quid respondeat refer.

[*Exeunt.*

ACTUS III.

SCENA I.

Capitolium; SENATORUM *concessus. Turba circa aditus Capitolii.* ARTEMIDORUS, ARUSPEX. *Sonant tubæ. Intrant* CÆSAR, BRUTUS, CASSIUS, DECIUS, METELLUS, TREBONIUS, CINNA, ANTONIUS, LEPIDUS, POPILIUS, PUBLIUS, &c., &c.

Cæs.—Idus Martii aguntur.

Arus.—Immo, Cæsar; sed non exacti sunt.

Art.—Salve, Cæsar; hunc libellum meum percurras, precor.

Dec.—Trebonius a te humillime petit ut huncce suum quamprimum perlegere tibi placeat.

Art.—O Cæsar, meum prius. Cæsarem proprius tangit: meum prius, maxime Cæsar.

Cæs.—Quod meipsum tangit cæteris posthabendum.

Art.—Ne moreris, Cæsar: quin statim legas.

Cæs.—Quid, num delirat iste?

Pub.—Absiste, procul esto.

Cass.—Quid est quod in viâ petitionem facis; veni in Capitolium.

CÆSAR *in Capitolium venit; assurgunt* SENATORES.

Pop.—Vobis hodie bene eventurum spero.

Cass.—Quid, Popili?

Pop.—Valeas. [CÆSAREM *versus progreditur.*

Brut.—Quid tibi Popilius Læna?

Cass.—Nobis hodie bene eventurum. Vereor ne proditi simus.

Brut.—Animadverte ut recta ad Cæsarem ——

Cass.—Age, confestim, Casca, ne præveniamur. Quid faciendum, Brute? Si proditi sumus, vel Cassius vel Cæsar non hinc rediturus est. Ipse memet occidam.

Brut.—Ne sollicitus sis, Cassi; Popilius Læna de nostris consiliis nihil. Risum in ore habet; neque Cæsar vultum mutat.

Cass.—Trebonius partes suas bene agit; ecce enim, Brute, ut M. Antonium subducat.

[*Exeunt* ANTONIUS *et* TREBONIUS. *Considunt* SENATORES.

Dec.—Ubi Metellus Cimber? Accedat, et actutum rogationem suam Cæsari proferat.

Brut.—Jam prolaturus est. Sequamur ut eum sustineamus.

Cin.—Casca, tu primus manum tuam ——

Casc.—Jamne parati sumus?

Cæs.—Quænam igitur sint, quibus Cæsar Senatusque suus mederi debeant.

Met.—Cæsar altissime, maxime, potentissime, Metellus Cimber ad sellam tuam cor humillimum affert.

Cæs.—Cimber, te præventum velim. Hi genuum flexus, hæc salutandi assentatio communium fortasse hominum sanguinem calefacere posset, ut legem semel decretam præscriptamque, puerorum more, immutare vellent. Sed ne inepte putes Cæsaris sanguinem ita male temperatum, ut per quae stulti molliuntur, mellita verba, humiles corporis flexus, servilesque, veluti canum, blanditias, per hæc dissolvi possit. Frater tuus, ex Senatusconsulto exulat. Si illius causâ te prosternis, miserasque preces edis, canis blandientis instar, ego, te veluti canem, pede repellam. Hoc pro certo habe, Cæsarem neque injuriâ insectari, neque temere condonare.

Met.—Nullane vox erit meâ magis digna, quæ in magni Cæsaris aurem suavior sonatura sit, ut ei fratrem meum ab exilio revocare placeat?

Brut.—Equidem a te, Cæsar, supplex, non adulator, peto, ut Publio Cimbro liberam redeundi licentiam jam concedere velis.

Cæs.—Quid, Brutus!

Cass.—Veniam, Cæsar, veniam oro. Cassius se vel ad pedes tuos prosternit: Publio Cimbro ignoscas precor.

Cæs.—Si ego tibi similis essem, ego, sicut tu, flecti possem. Si possem precibus uti, precibus moveri possem. Ego autem constans sum, stellæ instar, quæ Polus dicitur, cujus fixa et immobilis natura nullam inter sidera parem habet. Cœlum innumeris scintillis variatur, quarum cuique suus ignus, sua lux: uni tamen soli, inter omnes, suus semper locus. Non aliter in terrarum orbe. Multi nimirum in eo homines degunt, corporibus, sensu, intellectu præditi: unum tamen inter omnes novi, qui inexpugnabilis recta usque progreditur; suumque sibi semper vindicat locum. Quod ego is sum, vel hoc demonstro: Cimbrum exulare decrevi; Cimbrum exulare decerno.

Cin.—O Cæsar, ——

Cæs.—Hinc tu! Visne tollere Olympum?

Dec.—O magne Cæsar.

Cæs.—Annon et Brutus frustra supplex?

Casc.—Pro me loquantur manus ——

[CASCA CÆSAREM *collo ferit.*—CÆSAR *lacertum ejus prehendit.—Deinde a pluribus percussus, denique a* BRUTO, *clamat,*

Cæs.—Et tu, Brute! Tum cadat Cæsar.

[*Moritur.*—SENATORES *vulgusque diffugiunt.*

Cin.—Libertas! Libertas! Mortua est tyrannis! eamus, per urbem proclamemus.

Cass.—Quidam ad pulpita publica: proclament populo libertatem, servis manumissionem.

Brut.—Romani, Senatores, ne metuatis; ne diffiguatis: ambitio non nisi suas pœnas luit.

Casc.—In rostrum, Brute, ascendas.

Dec.—Et tu, Cassi.

Brut.—Ubinam Publius?

Cin.—Hic est, novâ hac audaciâ stupefactus.

Met.—Una omnes stemus, ne quis forte e Cæsarianis,—

Brut.—Nihil opus est;—Ne metuas, Publi; nihil in te volumus, neque in quemlibet alium civem: hoc populo refer, Publi.

Cass.—Atque abeas statim, Publi; ne turba, in nos impetu facto, tuam simul senectutem opprimat.

Brut.—Ita sit:—nemo propter hæc in discrimen veniat, nisi nos qui fecimus.

TREBONIUS.

Cass.—Ubi Antonius?

Treb.—Domum se recepit attonitus. Viri, fœminæ, pueri, stupent, clamant, passim discurrunt, quasi jam adesset supremus mundi dies.

Brut.—Fata, quæ sit voluntas vestra jam experiri nobis in animo est. Moriendum esse satis scimus; quo momento, quot dies intercessuri sint, in hoc laboramus.

Cass.—Quare, qui e vitâ viginti annos absciderit, tot annis mortis metum breviorem facit.

Brut.—Quod si concedas, mors ipsa lucro vertitur; et nos erga Cæsarem benevoli, qui eum ab hoc temporis intervallo formidine pleno liberavimus. Accedamus,

Romani; corpora inclinemus; dextras usque ad cubitum sanguine Cæsaris lavemus; gladios intingamus; deinde ad Forum; telisque cruorem stillantibus super capita sublatis, Pacem, Libertatem, Manumissionem, uno ore omnes proclamemus.

Cass.—Inclinemur ergo; lavatio fiat. Quot inde sæculis inter novas gentes, novis linguis editæ, clarissimæ hæ nostræ partes in scenam ducentur!

Brut.—Quoties in ludis Cæsar sanguinem profundet, qui jam in pulvere ad Pompeii pedes, pulvis ipse, procumbit.

Cass.—Toties hæc nostra conjuratorum manus Patriæ liberatores audibimus.

Dec.—Ne mora sit; prodeamus.

Cass.—Immo una omnes. Brutus viam ducat; nos, fortissimi Romanorum optimique, subsequemur.

FAMULUS.

Brut.—Tacendum—aliquis venit: unus ex Antonianis est.

Fam.—Sic me, genibux flexis, Brute, sic humi prostratum, jussit Antonius tibi dicere. Brutus nobilis, sapiens, fortis, honestus est; Cæsar potens, fortis, regius, amantissimus fuit; Antonius amat et honorat Brutum; timuit, honoravit, amavit Cæsarem. Si Brutus Antonio concedere velit, ut tuto adveniat, et intelligat qua de causâ Cæsar mortem oppetere meruerit, Antonius non tantum Cæsarem mortuum, quantum Brutum vivum, amaturus est; et rebus fortunisque Bruti, quicunque casus eventuri sint, quam fidelissime se socium additurus. Hæc dominus meus Antonius.

Brut.—Dominus tuus cordatus et fortis Romanus est; qualem eum semper novi. Huc, si libuerit, securus adveniat, ut causas facti nostri accipiat. Per fidem meam intactus redibit.

Fam.—Illum confestim adducam. [*Exit.*

Brut.—Antonium nostrum fore satis credo.

Cass.—Vellem quidem ipse; multum vereor tamen; et, quod suspicor, timori meo eventus responsurus est.

ANTONIUS.

Brut.—Ecce Antonium. —— Salve, M. Antoni.

Ant.—O magne Cæsar, itane despectus jaces? Itane omnes victoriæ tuæ, gloria, spolia, triumphi, in hanc brevem angustamque mensuram contrahuntur?—Jamque vale.—Romani, quid ultra facturi sitis nescio; cujus mox incidenda vena sit; quis alius luxuriat nimis. Sin ego; nulla hora, quam quâ Cæsar periit, æque opportuna est; nulla tela æque digna, ac isti enses vestri nobilissimo omnium hominum sanguine ditati. Quare obsecro vos, si quid in me meditamini, nunc, dum purpureæ manus vestræ adhuc tepent fumantque, in me eas convertatis. Si mille annos victurus sum, nunquam morti aptior ero; nullus mortis locus mihi magis exoptandus, quam hîc prope Cæsarem meum; nullus mortis modus, quam à vobis temporum nostrorum principibus potentissimisque occidi.

Brut.—O Antoni! Ne a nobis mortem poscas. Si tibi nunc crudeles et sanguinolenti propter has cruore infectas manus, et hoc præsens facinus, videamur; tamen non

nisi manus nostras, earumque opus cruentatum cernis; non corda nostra: pia sunt ea corda, et pietas ista erga Romam oppressam (pietas enim pietatem, sicut ignis ignem, expellit) ipsa hoc in Cæsarem fecit. In te autem, M. Antoni, enses nostri plumbei sunt; corda nostra et brachia nostra, te, veluti fratrem, summâ benevolentiâ et honore amplectuntur.

Cass.—Suffragium tuum in muneribus conferendis singulo cuique nostro par erit.

Brut.—Id unum a te petimus, ut quiete agas, donec plebem jam metu perturbatam sedaverimus; deinde, quare ego Cæsarem, quamvis dilectum, nihilominus tamen ense meo percusserim, tibi rationem reddam.

Ant.—Vos prudenter egisse nullus dubito. Det mihi quisque vestrûm manum suam cruentatam: primus, Marce Brute, tuam;—dein, tuam, Caie Cassi;—tuam, Deci Brute;—mox tuam, Metelle;—tuam, Cinna;—tuam, mi Casca;—tuam denique, Treboni; te ultimum appello, nec minus amo tamen. Factio nobilis! Eheu! quid dicam? mea enim fama jam eo usquo in lubrico est, ut vel timidus, vel adulator, uterque vilissimus, habendus sim. Nihil verius quam quod te amabam, Cæsar: quare, O omnium nobilissime, si anima tua nunc in nos nostraque despiciat, nonne illud injuriosius quam ipsa cædes videbitur, Antonium tuum hujusmodi fœdus inire, ultro acceptis, coram ipso tuo cadavere, cruentatis hostium tuorum manibus. Quod si in me tot oculi, quot in te vulnera, tantusque ex iis fletus, quantus ex his sanguis, manaret, hoc melius me deceret quam sic amice cum inimicis tuis pacisci. Veniam oro, Juli!—Hîc tu, cervus ingens, canibus circumventus, hîc occidisti. Atque hîc spoliis tuis ornati, sanguine tuo fucati, venatores te circumstant. Tibi orbis terrarum saltus erat. Tu in saltu isto dominus. O quam, cervi instar, a principibus pluribus percussi, hî tu procumbis!

Cass.—Quid, Marce Antoni!

Ant.—Veniam precor, Caie Cassi: mihi hoc saltem liceat: quod vel inimicissimi Cæsaris non negaturi sunt, quanto magis id amicissimus dabit.

Cass.—Non quod Cæsarem laudas, te insimulo; sed quale pactum nobiscum icturus sis, hoc scire velim. Utrum inter amicos numerandus es, an, te prætermisso, nobis jam procedendum erit.

Ant.—Certe inter amicos; quod ut significarem manus vestras petebam; Cæsaris autem aspectu paulisper deflectebar. Vobis omnibus benevolus sum, omnes amo: id unum peto, ut rationem, quâ de causâ, in quibus præsertim, Cæsar periculosus esset, vos mihi reddatis.

Brut.—Quod si non periculosus, immane profecto hoc spectaculum foret. Sed pro certo cape, Antoni, rationes facti nostri eam in se vim habere, ut, etiamsi Cæsaris filius esses, tibi satisfacturæ sint.

Ant.—Nihil aliud peto: jam vero mihi liceat cadaver in Forum efferre, et ex rostris, secundum morem, in exequiis loqui.

Brut.—Licebit, M. Antoni.

Cass.—Brute, pauca tecum. Quid agis? ne concedas Antonio ut in hisce exequiis orationem faciat. Annon intelligis quantum plebem fortasse inflammaturus sit?

Brut.—Provisum erit, Cassi;—nempe ego primus in rostra ibo, causamque mortis Cæsaris nostri explicabo. Addam insuper Antonium ex concessu nostro et licentiâ

orationem habiturum; nos justa omnia funebria ritusque solennes Cæsari libenter concedere. Hæc nobis plus apud populum profutura, quam in discrimen adductura credo.

Cass.—Dubito quid ex his eventurum sit; mihi non placent.

Brut.—Age, M. Antoni, Cæsaris cadaver tollas; hoc pacto scilicet, ut, orationem habens, nos non insimules, Cæsarem vero quantumvis laudes; idque permissu nostro te facere dicas: quod si nolis his conditionibus uti, tibi ut funus facias omnino non concedam. Denique, te ex iisdem rostris, quibus ego, concionari volo.

Ant.—Esto: nihil amplius peto.

Brut.—Cadaver igitur componas, et venias.

[*Exeunt. Manet* ANTONIUS.

Ant.—O lutea et cruenta moles, ne mihi succenseas, quod in hos carnifices tuos humilem me et mitem gesserim. Jaces, O ruina et relliquiae viri, cujus parem sæculorum ordo nunquam tulit. Pereat, pereat manus, quæ pretiosissimum hunc sanguinem effudit! Jam nunc super hæc vulnera tua, quæ muta tanquam ora, rubris hiant labris, quasi linguam vocesque a me petant, vates edo carmen meum.

In gentem humanam de cœlo descendent Diræ: odium intestinum, bellique civilis rabies Italiæ omni incumbent: strages exitiumque adeo in communi erunt, adeoque usitatæ rerum omnium horrendæ species, ut, infantibus coram oculis jugulatis, matres ipsæ riserint. Misericordia omnis pietasque sub feritatis consuetudine suffocata erit; Cæsarisque Umbra—cui comes ibit Ate, tartareis incandescens ignibus—ultionem passim exquirens, hos inter fines Imperatoris voce cladem proclamabit, Bellonæque canes in prædam immittet; donec atrox hoc facinus, et frustra funus poscentium cadavera supra terras infandum putuerint.

FAMULUS.

Ant.—Unus, ut puto, ex Octavianis es?

Fam.—Ita est, Antoni.

Ant.—Cæsar scripsit ut Octavius Romam veniret.

Fam.—Litteras accepit; jam in viâ est: me præmisit ut dicam, —— Eheu! Cæsar! [*Aspecto cadavere, stupet.*

Ant.—Tumet tuum cor: abi, indulge lacrymis tuis. Ah! dolor dolorem gignit; ut video oculos tuos in fletum solutos, lacrymae et meis obortæ sunt. Aisne dominum tuum in viâ esse?

Fam.—Hac nocte circiter viginti mille passuum ab urbe est.

Ant.—Ad eum quam citissime redeas, et quid hæc dies tulit referas. Romam lacrymis plenam, periculosamque; Octavio vix satis tutam. Propera, ut quamprimum de his certior fiat. Sed tamen paullisper maneas, donec cadaver in Forum asportaverim, atque ibi oratione habitâ, quid de iniquo horum carnificum facinore populus censeat tentaverim. Octavium juvenem secundum rei eventum præmonere poteris. Da manum in feretrum.

[*Exeunt, cadavere sublato.*

SCENA II.

Forum.

BRUTUS, CASSIUS, CIVIUM *turba.*

Cives.—Nobis satisfactum volumus: hoc agite; huic operam date.

Brut.—Me igitur sequamini, amici, ut audiatis. Tu, Cassi, in alteram viam eas, ut populo plus loci sit. Qui me audire malunt, mecum maneant; qui Cassium, eum comitentur: nos qua de causâ Cæsar occisus est rationem publice reddituri sumus.

Civ. 1.—Equidem Brutum audire volo.

Civ. 2.—Cassium ego; ut sic alterum cum altero conferre possimus. [*Exit* CASSIUS *cum parte* CIVIUM.

BRUTUS *rostrum ascendit*.

Civ. 3.—Nobilis Brutus in rostro est: favete linguis.

Brut.—Usque ad finem me patienter audiatis peto. Romani, cives, amici, me causæ causâ audite, et ut audiatis tacete: honoris mei causâ mihi credite, et ut credatis me pro honesto habete: pro sapientiâ vestrâ de me judicate, et ut sapiatis vigilate. Si cui præ cæteris ex hoc cœtu Cæsar carus erat, illi dico Cæsarem Bruto nihil minus carum. Quod si poscat, unde igitur Brutus in Cæsarem insurrexerit, respondeo, Non quod Cæsarem minus amaret, sed quod Romam magis. Utrum mavultis vivo Cæsare, vos omnes mori servos; mortuove Cæsare, vos omnes vivere liberos? Quod me Cæsar diligebat, eum ploro; quod felix erat, gratulor; quod fortis, honoro; quod ambitiosus, occidi: En! propter amorem, lacrymae; propter fortunam, gratulatio; propter virtutem, honor; propter ambitionem, mors. Quis vestrûm adeo turpis est, ut servus esse malit? Si quis; dicat—ille injuriam a me passus est. Quis ita barbarus, ut Romanus esse non curet? Si quis; dicat—ille injuriam a me passus est. Quis adeo vilis, ut Patriam non amet? Si quis; dicat—ille injuriam a me passus est. Respondeatis; responsum expecto.

Cives.—Nemo omnium, Brute, nemo.

Brut.—Nemo igitur injuriam a me passus est. Ego nihil gravius in Cæsarem egi, quam quod vobis in Brutum liceret. Causa et ratio mortis ejus in tabulis Capitolinis inscriptæ sunt: gloriâ ejus nihil imminutâ; delictis, propter quæ mortem subiit, nihil in pejus exaggeratis.

ANTONIUS, *aliique cum cadavere.*

Ecce ejus cadaver; Marcumque Antonium qui funus facit: ille facti insons, facti tamen pretio, æquo in republicâ loco, potitur. Qui quidem jam vestrûm omnium est. Denique, hoc vobis promitto, me eodem gladio, quo in Cæsarem, amicissimum meum, Patriæ causâ usus sum, in me ipsum, si poscat Patria, usurum.

Cives.—Vivas, Brute, vivas, diu vivas.

Civ. 1.—Domum triumphantis more eum deducamus.

Civ. 2.—Statuam ei, sicut avis ejus, ponamus.

Civ. 3.—Cæsaris locum sibi habeat.

Civ. 4.—Quodcunque in Cæsare coronam meruerit, id jam in Bruto coronandum puto.

Civ. 1.—Domum cum acclamatione deducamus.

Brut.—Quirites, cives mei, ——

Civ. 2.—Favete linguis, tacete; Brutus loquitur.

Civ. 1.—Taceant omnes.

Brut.—Liceat, amici, ut solus discedam: vos autem, si me amatis, hic cum Antonio manete: Cæsari, quodcunque mortuo decet, permissu nostro, dicturus est, benigne audiatis. Obsecro vos, ne quis vestrûm abeat, donec Antonius finem fecerit.

[*Exit* BRUTUS.

Civ. 1.—Maneamus, ut M. Antonium audiamus.

Civ. 2.—In rostrum eat: eum audire placet:—ascendas, nobilis Antoni.

Ant.—Bruti nomine vobis gratias ago.

Civ. 4.—Quid de Bruto ait?

Civ. 3.—Bruti nomine nobis gratias agit.

Civ. 4.—Caveat ne quid hic contra Brutum dicat.

Civ. 1.—Cæsar iste tyrannus erat.

Civ. 3.—Procul dubio: felix Roma quæ isto liberata sit.

Civ. 2.—Favete: quid Antonius possit dicere audiamus.

Ant.—Quirites optimi,—

Cives.—Tacendum! audiendum.

Ant.—Amici, Cives, Quirites, commodate mihi aliquantisper aures vestras: adsum ut efferam Cæsarem, non ut laudem. Quæ male homines fecerint, mortuis supersunt; quæ bene, simul cum ossibus sepulcro abscondi solent. Hæc Cæsaris sors esto. Nobilis noster Brutus Cæsarem ambitiosum ait: quod si ita esset, gravissimum ejus delictum fateor: gravissimam certe Cæsar pœnam luit. Hic, concedentibus Bruto aliisque, (honestus Brutus, honesti omnes) adsum ut in Cæsaris exequiis pauca loquar. Ille mihi amicus erat; justus et fidelis mihi: sed Brutus ambitiosum ait; et Brutus vir honestus est. Multos bello captos Cæsar Romam reduxit; quibus redemtis, æs in publicum invexit. Hoccine ambitiosi erat? Si quando plebs lugebat, flebat Cæsar: ambitiosi, ut opinor, durior materies est: ambitiosum tamen Brutus ait; et Brutus vir honestus est. Vidistis omnes me in Lupercalibus regiam coronam Cæsari ter obtulisse, quam ille ter repudiavit: hoccine ambitiosi erat? Ambitiosum tamen Brutus ait; et Brutus profecto honestus est. Non, ut Bruto contradicam, loquor, sed ut, quæ ipse certus scio, vobis proferam. Vos omnes hunc olim jure amabatis: quid vetat quin nunc ploretis? O Sanitas, in bestias confugisti: Gens humana insanit: patiamini, precor; cor meum in feretro isto cum Cæsare est: dum redierit, tacendum.

Civ. 1.—Hujus verba, ut opinor, non parvam in se vim habent.

Civ. 2.—Si vis rem recte perspicere, injuriosissime isti in Cæsarem.

Civ. 3.—Aisne? Equidem vereor ne pejor quisquam Cæsaris in locum successurus sit.

Civ. 4.—Coronam repudiavit: quid vultis? certe non ambitiosus erat.

Civ. 1.—Quod si ita est, sunt qui graves pœnas luituri sunt.

Civ. 2.—Aspicite Antonii nostri faciem; ut lacrymis deformatur!

Civ. 3.—Nemo Romanorum Antonio honestior.

Civ. 4.—Favete linguis, iterum loquitur.

Ant.—Heri, dictum Cæsaris universo orbi terrarum prævalebat: hodie hîc jacet: nemo jam ita humilis est ut eum non despiciat. O mî amici! si animos vestros ad iram tumultumque instigare vellem, injuste in Brutum agerem, injuste in Cassium, quos vos omnes honestos esse satis scitis. Non ita agam: mallem potius in mortuum istum, mallen in meipsum, mallem in vos injuste agere, quam in istos honestos viros. Sed manu teneo chartam, symbolo Cæsaris impressam; in armario ejus à me repertam; Cæsaris testamentum est. Si plebs hoc semel explicatum habuerint, (quod, pace vestrâ, non sum ego explicaturus,) in mortui Cæsaris vulnera oscula imprimerent, sacroque ejus sanguine mappas imbuerent; immo etiam unum ex capite ejus capillum in memoriam precarentur, ut, morituri, pueris pro pretiosissimo legarent.

Civ. 4.—Audiamus testamentum: lege, M. Antoni, lege.

Omnes.—Testamentum, testamentum! Cæsaris testamentum audire nobis placet.

Ant.—Date veniam, amici; non licet ut legam. Non ausim palam dicere quantus esset in vos Cæsaris amor. Non ligna—non saxa estis—homines estis; et cum homines estis, hoc Cæsaris testamentum vos ad incendia et insaniam instigaret. Vos Cæsaris hæredes esse melius non novisse. Si enim noveritis, eheu! quid eventurum foret!

Omnes.—Lege testamentum; jubemus, Antoni; legendum Cæsaris testamentum.

Ant.—Date veniam, date paullulum moræ. Fando talia ultra metam certe jaculatus sum. Vereor ne honestos istos viros injuriâ affecerim, quorum sicæ Cæsarem percusserunt: immo multum vereor.

Civ. 1.—Proditores isti: non honesti.

Civ. 2.—Testamentum! testamentum!

Civ. 3.—Scelerati sunt; sicarii.

Ant.—Mene igitur cogetis ut legam! Primo tamen circumstetis cadaver Cæsaris, ut, qui hoc fecerit testamentum, vobis ostendam. Descendamne e rostro? licetne?

Omnes.—Descendas.

Civ. 2.—Licentiam damus.

Civ. 3.—A feretro et cadavere paullulum distandum est.

Civ. 4.—Date locum Antonio, nobilissimo Antonio.

Ant.—Ne me urgeatis; date locum, precor.

Omnes.—Date locum, date locum.

Ant.—Si lacrymae vobis insunt, date lacrymis viam. Agnoscitis omnes hanc togam: memini ego quo tempore eam primum induit Cæsar: æstivo quodam vespere, in prætorio; quo die Nervios debellârat. Ecce! hac Cassi mucro penetravit: ecce! illac quantum foramen fecit invidus Casca. Hac autem bene dilectus Brutus percussit: abstractoque ejus exsecrando ense, videte, quanto impetu Cæsaris sanguis secutus est; quasi foris properaret, ut sciret num Brutus esset qui tam inhumaniter pulsaret; Brutus enim, uti scitis, Cæsari divus erat. Testor vos, immortales Dii, quantopere eum diligebat Cæsar! Proh ictum omnium inhumanissimum! illico, ut Brutum manus inferentem vidit, qui proditorum tela sustinebat, ingrato hujus animo succubuit. Tum ruptum cor eximium; togâque capite involuto, ad pedes statuæ Pompeî, quæ tota, dum cædes ageretur, sanguinem exsudabat, magnus Cæsar procubuit. O qui casus ibi erat, Quirites! Ibi ego, ibi vos, ibi nos omnes simul procubuimus, triumphante super nos Proditione cruentis manibus.

Ah! adsunt lacrymae; qui sit in vobis pietatis morsus agnosco. O gratæ lacrymæ! pia corda! Quid! fletisne, cum non nisi vestem Cæsaris nostri dilaniatam intuemini? En ipsum! ipsius stragem et ruinam, proditorum opus!

Civ. 1.—O miserrimum spectaculum!

Civ. 2.—Eheu, nobilis Cæsar!

Civ. 3.—O diem funestissimum!

Civ. 4.—O proditores, O sicarii!

Civ. 1.—O cruentissimum facinus!

Civ. 2.—Ultionem poscimus, ultionem: ite,—agite,—exquirite,—incendite,—occidite! —ne quis istorum supersit.

Ant.—Amici mei.—

Civ. 1.—Tacete, audite nobilem Antonium.

Civ. 2.—Audibimus; sequemur; cum Antonio moriemur.

Ant.—Mî boni, mî amici, procul absit ut verba mea vos in tantum seditionis vorticem præcipitent. Qui hoc facinus fecerunt viri utique honesti sunt: quænam fuerint suæ cuique simultates, quæ ut facerent impulerint, ego prorsus nescio; sagaces autem iidem et honesti: et vobis procul dubio satisfacturi sunt.

Non adsum, amici, ut corda vestra surripiam; non ego sicut Brutus, orator sum: sed, uti omnes bene scitis, rudis, simplexque, amici mei amantissimus; quod bene norunt qui mihi hanc publice loquendi licentiam permiserunt. Non enim mea sunt, neque ingenium, neque verba, neque dignitas, neque actio, neque vox, neque elocutio, ut hominum affectus excitare possim. Nihil in me est nisi aperte et directo loqui. Vobis quæ vobismetipsis nota sunt refero; Cæsaris nostri vulnera ostendo, muta, tristissima ora, et pro me eloqui jubeo. Quod si ego Brutus essem—Brutus

Antonius—staret hîc Antonius, qui ab imo præcordia vestra commoveret, et singulis Cæsaris vulneribus linguam insereret, quæ ipsos Romæ lapides in seditionem tumultumque evocaret.

Cives.—Nulla in nobis mora erit.

Civ. 1.—Bruti domum incendemus.

Civ. 3.—Ite, venite, conjuratos deprehendamus.

Ant.—Mihi auscultate iterum tamen, Quirites.

Cives.—Taceamus! audiamus Antonium, nobilissimum Antonium.

Ant.—Quid vultis, amici; quid agitis? Nonne vos hoc etiamnum latet quâ de causâ Cæsar tam bene de vobis meruerit? Quid! ignoratisne? Idcirco dicendum est. Testamentum vobis ex mente excidit, ut videtur.

Cives.—Verum ait: commorandum est dum legatur.

Ant.—Ecce testamentum, Cæsarisque symbolum. Imprimis, singuloque cuique civi Romano septuaginta drachmas dat.

Civ. 2.—O Cæsarem nobilissimum! ut cædes ejus primum nobis ulciscenda est?

Civ. 3.—O Cæsarem generosum, vere regium!

Ant.—Patiamini aliquantisper, precor.

Cives.—Taceamus, taceamus.

Ant.—Omnes præterea hortos suos, arbustae, pomariaque nova cis Tiberim, in usum et recreationem publicam, vobis hæredibusque vestris in perpetuum legat. Eccum, verum amicum! eccum, Cæsarem vestrum. Quando ullum invenietis parem?

Cives.—Nunquam, nunquam:—hinc, hinc vos abripite, Quirites. Cadaver in sacro loco comburemus; tædisque a pyrâ raptis proditorum domos incendemus. Corpus tollite.

Civ. 2.—Ite, ferte ignem.

Civ. 3.—Scamna evellite.

Civ. 4.—Sedilia, fenestras, quidquid ad manum venit.

[*Exeunt* CIVES, *cadavere sublato.*

Ant.—Factum est: currat opus. Ate, carceribus effusa es!—jam effrænis ruas?

FAMULUS.

Fam.—Domine, Octavius jam nunc Romam advenit.

Ant.—Ubinam est?

Fam.—Ille Lepidusque domi Cæsaris sunt.

Ant.—Ibo confestim visum. Fortuna læta est et benigna, ut videtur: eo animo ut nobis quodcunque velimus largiatur.

Fam.—Audivi ex Octavio Brutum Cassiumque per urbis portas, equis concitatis, et quasi metu insanos, effugisse.

Ant.—Ad aures venerat, ut opinor, quomodo populus à me commotus est. Duc me ad Octavium.

SCENA III.

Via quædam.

CINNA *Poeta.*

Cin.—Hac nocte somniabam me cum Cæsare cœnare; mens mea infaustum aliquod præsagit. Foris ire vix placet; cogor tamen quodammodo invitus.

CIVES.

Civ. 1.—Quid nomen tuum?

Civ. 2.—Quorsum viam facis?

Civ. 3.—Ubi habitas?

Civ. 4.—Maritus, an cœlebs?

Civ. 2.—Statim cuique nostrum respondeas—

Civ. 1.—Et brevissime—

Civ. 4.—Et prudentissime—

Civ. 3.—Et verissime—caveas ut verissime.

Cin.—Quid nomen meum? quorsum eo? ubi habito? maritus, an cœlebs? Ut cuique respondeam, statim, brevissime, prudentissime, verissime. Prudentissime igitur, non sum maritus.

Civ. 2.—Quasi dicas maritos omnes stultos esse;—hujus ergo vapulabis, ut opinor. Age, statim—

Cin.—Statim; ad Cæsaris funus eo.

Civ. 1.—Amicus, an inimicus?

Cin.—Amicus.

Civ. 2.—Quantum ad hoc, satis ist.

Civ. 4.—Jam de domo,—age, brevissime—

Cin.—Brevissime; prope Capitolium est.

Civ. 3.—Quid nomen tuum? verissime—

Cin.—Verissime; Cinna est.

Civ. 1—Divellamus, discerpamus; unus ex conjuratis est.

Cin.—Non ego. Cinna sum poeta, Cinna poeta sum.

Civ. 4.—Satis est. Malos versus facit; malorum carminum ergo discerpendus est.

Civ. 2.—Cinna nomen est; satis est; nomine ex corde evulso, discedat si velit.

Civ. 3.—Divellite, discerpite. Ite, tædas ferte, tædas ignemque. Hinc in Bruti, in Cassii, domum; utramque, omnes, incendite. Alii Decii, alii Cascæ, alii Ligarii domum; ite; properate.

[*Exeunt.*

ACTUS IV.

SCENA I.

Atrium in Ædibus ANTONIANIS.

ANTONIUS, OCTAVIUS, LEPIDUS.

Ant.—Ergo hi omnes proscribendi sunt. En! cujusque nomini stigma suum letale.

Oct.—Insuper his, et frater tuus, Lepide: aisne?

Lep.—Aio.

Oct.—Stigma ad nomen ejus, Antoni.

Lep.—Hac conditione, quod et Publio, sororis tuæ filio, Antoni, detur locus suus in libello nostro.

Ant.—Fiat: ecce! stigmate eum damno. Tu autem, Lepide, jam Cæsaris domum eas, et tecum testamentum referas. Quomodo aliquid ex legatis imminui possit ratio nobis ineunda est.

Lep.—Vosne hic inveniam?

Oct.—Vel hic, vel ad Capitolium. [*Exit* LEPIDUS.

Ant.—Levis iste; nullius pretii vir: tabellarii vice dignus qui fungatur. Decetne, putas, Octavi, istum, terrarum orbe in tres partes diviso, unam pro suâ habiturum esse?

Oct.—Scilicet ipse auctor eras; et quæ in fatali isto libello nostro nomina inscribenda essent ex istius suffragio inscribi tu contentus eras.

Ant.—Junior es, Octavi; senior ego. Animadvertas velim—honores quos in istum cumulamus, (eo consilio ut invidiæ onus vice nostrî ipsorum ferat,) ille, uti asinus

aurum, portaturus est; sub pondere gemens sudansque; ductus actusve quocunque tu et ego viam indicaverimus; donec, facto itinere, et nummis istuc, ubi nobis placet, deductis, onus a tergo amovebitur; et eum veluti asinum, vacuum, soluto collo, dimittemus, ut ventilet aures, et herbam in aperto quærat.

Oct.—Fac quod voles: miles tamen fortis et expertus est.

Ant.—Hoc et equi mei est, Octavi; cui in idipsum largiri pabulum soleo: quem in pugnam ire in gyros, rectâve currere, vel immotum stare, doceo; corporis ejus motibus arbitrio meo conformatis. Ide fere dicendum de Lepido nostro: docendus et informandus est, gubernandus, agendus. Cerebrum vel omnino nullum, vel sterile, habet. Artes alienas, mores, exempla, quoad potest, depascitur; quibus jam obsoletis abjectisque ab inventoribus, pro novis et sibimet ipsi excogitatis utitur. Ne in isto moremur, nisi ut in mancipio nostro. Nunc autem de gravissimis rebus consulendum, Octavi. Brutus Cassiusque copias conducunt: oportet quam citissime iis obviam eamus. Fœdere igitur inter nosmet ipsos icto, conciliandi amici, copiæque a nobis etiam totis viribus undique contrahendæ; deliberandum insuper quomodo operta discrimina magis pateant, aperta defendantur.

Oct.—Hoc agamus, Antoni; nos enim jam tanquam in saltu sumus, canibus undique circumlatrantibus; et vereor sane ne sint, qui, dum nobis vultu arrident, corde mala quamplurima comminiscantur.

[*Exeunt.*

SCENA II.

Castra ad Sardes. BRUTI *tentorium. Tubæ. Ex hac parte* BRUTUS, LUCILIUS, LUCIUS, *Milites: ex illâ,* TITINIUS, PINDARUS.

Brut.—Consistite, milites.

Luc.—Date signum: consistite.

Brut.—Quid habes, Lucili? num venit Cassius?

Lucil.—Immo jam venit: Pindarus tibi nomine ejus salutem dat.

[PINDARUS BRUTO *litteras reddit.*

Brut.—Amici litteræ sunt.—Dominus tuus, Pindare, vel per seipsum, vel per malos quosdam ministros, mihi satis causæ dedit, ut quædam facta infecta vellem. Quodsi me jam conventurus est, omnia in melius interpretari licebit.

Pin.—Pro certo habe nobilem dominum meum se, ut semper, quam maxime benevolum honestumque tibi comprobaturum esse.

Brut.—Nullus dubito. Jam pauca tecum, Lucili: dic mihi, quonam modo te acceperit?

Luc.—Satis comiter quidem et honorifice; nec tamen familiari eo more, et benigno, neque eâ verborum facilitate quibus olim utebatur.

Brut.—Amicum modo ardentem, jam frigescentem, depingis. Animadvertas licet, Lucili, amorem languescentem et mox defecturum, ut ad coactas quasdam blanditias confugiat. Vera simplexque fides artem nescit: insinceri autem equorum

impatientium more agunt, qui primo cursu superbiunt frenaque indignantur: deinde, quum ad calcar ventum est, cristas demittunt, et se pigros et male natos produnt. Exercitusne ejus in itinere est?

Lucil.—Hac nocte Sardibus castra ponunt; peditum pars major, equitatus fere omnis Cassium comitantur.

[*Tubae.*

Brut.—Audisne? adest:—lento passu obveniamus.

CASSIUS, *cum suis.*

Cass.—Consistite.

Brut.—Consistite. Date signum per ordines.

Mil. 1.—Consistite.

Mil. 2.—Consistite.

Mil. 3.—Consistite.

Cass.—Frater nobilissime, me injuriâ affecisti.

Brut.—Di superi! testor vos me ne inimicos quidem, quod sciam, injuriâ afficere; quanto minus fratrem?

Cass.—Gravitas ista tua, Brute, injurias velat; quando autem injuste agis—

Brut.—Te contineas, precor, Cassi; expostulationes tuas lenius urgeas: indolem tuam satis novi: ne coram militibus nostris, quos oportet nos conjunctissimos intelligere, rixantium more colloquamur. Quare, hisce paullulum remotis, tu, Cassi, mecum in tentorium meum: ibi querelas tuas liberius exponas; ego patienter audiam.

Cass.—Tribunis, Pindare, manda ut cohortes paullulum hinc deducant.

Brut.—Quin et tu, Lucili. Jam vero nemo in tentorium veniat, consiliantibus nobis. Lucius et Titinius aditum custodiant. [*Exeunt.*

SCENA III.

BRUTI *Tentorium. Intervallo quodam* LUCIUS *et* TITINIUS.

BRUTUS, CASSIUS.

Cass.—Quod in me injuriose egisti, Brute, vel ex hoc patet: Lucium Pellam, de muneribus ex Sardianis nostris acceptis in judicium vocatum, condemnâsti; litterasque meas, eum, quod mihi notus esset, excusantes, pro nullis habuisti?

Brut.—Tu in teipsum, Cassi, injuriosus, quod in istius causâ te advocatum feceris.

Cass.—Hisce temporibus parum convenit singulum quodvis delictum accuratius notare.

Brut.—Liceat dicam tibi, Cassi—tu ipse male audis propter cupidam quandam et prurientem manum; aiunt te munera tua indignis auro vendere.

Cass.—Mene cupidum? mene prurientem manum? nî Brutus esse, per Deos omnes, jam supremum locutus esses.

Brut.—Quam corruptelam Cassii nomen decoram facit; idcirco Pœna suum abscondit caput.

Cass.—Pœnam—dicebasne? Pœnam?

Brut.—Martium—Idus memento Martios!—Quonam instigante—nisi Justitiâ—magnus Julius occisus est? Quis inter nos tam vilis ut, nisi Justitiâ instigante, eum percusserit? Quid! unusne nostrûm est,—qui hunc primum orbis terrarum virum, non ut latronem ipsum, sed quod latronum patronus esset, occidimus;—nosne, inquam, manus nostras turpissimo lucro contaminabimus? ingensque gloriæ nostræ curriculum tam parvi ultro vendemus quantum digitis—ad hunc morem—contineri possit? Mallem me canem esse, et latrare lunam quam istiusmodi Quiritem.

Cass.—Ne me latres, Brute; equidem non patiar; parum tibi convenit me insectari. Miles ego plus quam tu belli expertus; aptior qui de patrocinii conditionibus judicem.

Brut.—Non tu, Cassi.

Cass.—Aio.

Brut.—Non tu, inquam.

Cass.—Ne instes mihi; ne me provoces; metuo ne non memet penes fiam: cura vitam tuam: ne me ulterius tentes.

Brut.—Abi, vir levis!

Cass.—Quid est?—certe male audivi!

Brut.—Audi tu; dicam enim. Sperasne iræ puerili tuæ me locum daturum: metuamne quod insanus quidam torve me intuetur?

Cass.—Dî superi! Dî superi! hæccine me pati!

Brut.—Immo hæcce omnia, et plura his: intus fremas, si vis, donec superbum tuum cor dissiliat. I, servis tuis quantum irasci potes ostendas, ut te formident servi. Egone locum dabo tibi? Tune a me conciliandus? Mene decet summisso vultu ineptos furores tuos patienter ferre? Per Deos! cogam te ut splenis tuis venenum exhaurias ipse, etiamsi exhauriendo rumparis. Ex hoc die, dico tibi, Cassi, te, quandocunque irascaris, pro joco et ludibrio utar.

Cass.—Ventumne est ad hoc?

Brut.—Tu te militem præstantiorem jactas: fac ut probatum habeas; quod si probaveris, lætabor ego: quod meum est, gaudeo a præstantoribus edoctus.

Cass.—Male in me, male in me omnino, Brute; militem seniorem, non præstantiorem, dixi: præstantioremne dicebam?

Brut.—Utrum horum mavis.

Cass.—Cæsar me sic provocare non ausus esset.

Brut.—Tace, tace; tu non ausus esses eum sic tentasse.

Cass.—Mene non ausum?

Brut.—Dico, non.

Cass.—Mene non ausum?

Brut.—Non, per Deos, non ausus esses.

Cass.—Brute, ne amori meo nimium fidas: vereor ne faciam cujus me pœnituerit.

Brut.—Jamdudum id fecisti, Cassi. Videsis; minæ tuæ nihil in me valent; eâ enim virtute me totum involvo, ut, tanquam vana aura, istæ me incassum prætervolent. Auri quoddam pondus a te, per tabellarios meos, petebam: quippe ut nummos ipse turpiter aliunde corradam procul a me est. Per Deos! mallem cor meum in æs transmutari, sanguinemque in drachmas guttatim, stillari quam e duris pauperum manibus sordidas eorum mercedulas per me injuriâ extorqueri. Aurum, a te inquam, per tabellarios meos, petebam; in stipendia legionibus meis. Tu mihi negabas. Hoccine Cassii erat? Ego ne Caio Cassio sic respondissem? Si quando Marcus Brutus adeo avarus fiat, ut viles istos calculos in arcâ conditos suis interdicat, eâ ipsa horâ, Dî, omni fulmine vestro Brutum comminuatis!

Cass.—Ego non negabam.

Brut.—Negabas, aio.

Cass.—Non ego:—stultus iste qui responsum meum retulit. Brutus cor meum dilaceravit. Amicus amici culpas extenuare debet; Brutus meas exaggerat.

Brut.—Invitus loquor, tuis in meipsum injuriis coactus.

Cass.—Me non amas.

Brut.—Culpas quidem tuas non amo.

Cass.—Amici oculus culpas tantulas notare nollet.

Brut.—Nollet adulatoris oculus, etiamsi Olympum superarent.

Cass.—Veni, Antoni; veni, juvenis Octavi; vosmet de Cassio solo omnium ulciscamini: Cassium vitæ tædet. Bene dilecto odio est: a fratre lacessitur: servus uti reprehenditur: culpâ qualibet notatâ, in tabulis inscriptâ, memoriæ commissâ, ut illi aliquando in opprobrium objici possit. Eheu! animam meam lacrymando exhaustam vellem! Ecce! gladius tibi meus; nudatum pectus: cor intus thesauro Pluti carius, auro pretiosius: si Romanus es, cor illud exscindas: ego qui aurum negabam, idem cor datum volo: percute ut percussisti Cæsarem; te Cæsarem enim, etiam quum maxime aversabaris, plusquam Cassium dilexisse certo scio.

Brut.—Ne mihi gladium, Cassi. Ad libitum iræ indulgeas: tibi per me licebit. Fac quodcunque velis; injuriosus contumeliosusque sis; ego intemperiem dicam. O Cassi, cum agno conjuctus es: iram ille, uti silex ignem, gerit; percussus scintillam in breve ostendit, et extemplo refrigescit.

Cass.—Vixitne Cassius ut Bruto suo jocus et ludibrium fiat, si quando dolor et male temperatus sanguis eum irritaverint?

Brut.—Male et ego temperatus, quum ista dicerem.

Cass.—Tantumne concedis? Da manum.

Brut.—Immo, et cor simul.

Cass.—O Brute! ——

Brut.—Quid est, Cassi?

Cass.—Nonne satis amoris in me habes, ut patiaris si quando fervida ista temperies, quam a matre accepi, me ultra modum impulerit?

Brut.—Satis, Cassi. Quod si posthac Brutum tuum nimis urgeas, ille, matrem tuam increpitantem audire putans, tibi locum dabit. [*Strepitus intra.*

Poeta.—[*Intra*.]—Date viam ad duces. Jurgium inter se habent, cui alios interesse melius erit.

Luc.—Non licet.

Poet.—Mors sola me prohibebit.

POETA.

Cass.—Quid vult strepitus iste? quid nobiscum tibi?

Poet.—Proh pudor! O quid erit? Dux a duce magnus amandus. Ne sit vos inter rixa; Poeta jubet.

Cass.—Pol! quam putidos facit Cynicus este versiculos.

Brut.—Hinc tu, impudens! abi in malam rem!

Cass.—Ne nimis ægre feras, Brute: suo more agit.

Brut.—Isti morem geram si quando tempestivus aderit. Quid his ineptissimis cum bello? abeat statim.

Cass.—Abi, quisquis es; confestim abi.

[*Exit* POETA.

LUCILIUS, TITINIUS.

Brut.—Lucili, Titinique, mandate centurionibus ut in hanc noctem metentur castra.

Cass.—Ipsi statim huc redeatis; vobiscum Messala adsit. [*Exeunt* LUCILIUS *et* TITINIUS.

Brut.—Luci, vinum affer.

Cass.—Non novi te tantum moveri posse.

Brut.—O Cassi, plurimus dolor cor meum ægrum facit.

Cass.—Quid autem—Philosphia tua nihili est, si quæ indies contingunt mala parum sustineas.

Brut.—Nemo tristitiæ cedit minus quam ego:—Portia mortua est.

Cass.—Aisne? Portia!

Brut.—Mortua est.

Cass.—Et tu me—importunum—injuriosumque—non illico occidebas!

O damnum intolerabile! O ima cordis pertentans dolor!

Quonam morbo?

Brut.—Mei absentis impatiens, dolensque quod Octavius cum Marco Antonio in tantum roboris creverit, (nempe hoc simul accepimus) quodammodo insana facta est; semotisque famulis, ignem absorpsit.

Cass.—Atque ita mortua est?

Brut.—Scilicet—ita.

Cass.—O, immortales Di!

LUCIUS, *vinum et lucernas ferens.*

Brut.—Ne plura de illâ.—Da cyathum in manum. In hoc, Cassi, si quid inter nos non satis amanter intercesserit, id omne sepultum volo.

Cass.—Tibi propinanti idem sitit cor meum. Poculum corona, Luci: nunquam mihi redundabit Bruti amor.

TITINIUS, MESSALA.

Brut.—Accedas, Titini:—salve, mi Messala. Jam nunc ad lucernam sedeamus, et quid in his necessitatibus agendum sit, consilium capiamus.

Cass.—Portia, obiistin?

Brut.—Ne iterum istud nomen, precor te. Messala, ex his litteris intelligo Octavium juvenem et Marcum Antonium cum magno exercitu tendere versus Philippos, in nos impetum facturos.

Mess.—Idem ego ex meis litteris.

Brut.—Ecquid aliud habes?

Mess.—Octavius, Antonius, Lepidusque centum Senatores proscriptos et majestatis condemnatos sustulerunt.

Brut.—Hac parte meæ vix consentiunt; quippe Senatores proscriptos et cæsos septuaginta ferunt; unum ex iis Ciceronem.

Cass.—Ciceronem, ais?

Mess.—Immo—Cicero, unus ex proscriptis, periit. Accepistine epistolas, Brute domine, ab uxore tuâ?

Brut.—Nullas, Messala.

Mess.—Nihilne habent de illâ litteræ tuæ?

Brut.—Nihil, Messala.

Mess.—Mirum, ut mihi videtur.

Brut.—Sed quid rogas? tune aliquid de illâ?

Mess.—Non ego, domine.

Brut.—Romanus es, Messala; mihi verum dicas.

Mess.—Romanus es, Brute; quod dicam feras. Illa procul dubio mortua est—infandâ morte.

Brut.—Ergo, vale, Portia.—Omnibus moriendum, Messala: illam aliquando morituram continuo meditatus, mortuam patienter fero.

Mess.—Ita a magnis mala magna sustinenda sunt.

Cass.—Equidem, prout tu, quid in hac re philosophum decet edoctus sum; infirmior tamen natura mea, quam quæ, sicut tua, rem ipsam sustinuisset.

Brut.—De mortuis satis: jam de vivis. Quid censes? an ad Philippos exercitum nostrum confestim ducendum putas, an non?

Cass.—Non, me judice.

Brut.—Quare, quæso?

Cass.—Pro nobis magis facturum censeo ut hostis nos ultro petat. Sic enim opes suas consumet, milites defatigabit, suo ipsius detrimento. Interea nos castra tenentes, quiete refecti erimus; indiesque et ad propulsandum et ad agendum instructiores.

Brut.—Argumenta tua gravia esse fateor; hæc tamen, ut puto, graviora. Qui inter hunc locum et Philippos sunt, vix satis bene in nos affecti videntur, quippe qui commeatus inviti suppeditaverint. Hostis, per eos iter faciens, ordines suos complere poterit: deinde, amplifactus reparatusque, animosior progredietur: quibus omnibus eum destituemus si, ad Philippos ei obviam euntes, hosce in tergo tenebimus.

Cass.—Mî frater, verbum velim ——

Brut.—Pace tuâ—insuper notandum est, nos omne quod nostrarum partium est jampridem collegisse; legiones completas esse; et totam rem nostram jam quasi maturam: hostem in diem crescere; nobis, in summum jam progressis, periculum esse ut mox retrorsum cedendum sit. Quippe in rebus humanis, ut in mari, inest æstus: cui si, sursum adhuc fluenti, te commiseris, in Fortunam provectus eris; si refluenti, inter vada et angustias nunquam non navigandum erit. Nos jam mari pleno invehimur; æstuumque secundum oportet occupemus, ne fiat jactura.

Cass.—Eamus ergo: ad Philippos cum hoste congediamur.

Brut.—Nox intempesta nobis colloquentibus obrepsit. Necessitas naturæ imperat. Somnus tamen brevis esto. Visne plura loqui?

Cass.—Nihil ego. Valeas et dormias: primâ luce proficiscemur.

Brut.—Vestem domesticam meam, Luci, affer.

[*Exit* LUCIUS.

Valeas, optime Messala;—valeas, Titini;—valeas et tu, nobilissime Cassi! bene dormiatis omnes.

Cass.—O carissime frater! male inita est hæc nox: ne in futurum quicquam inter nos dissidii intercedat. Nonne ita erit, Brute?

Brut.—Omnia jam optime se habent.

Cass.—Valeas, domine.

Brut.—Et tu, mî frater.

Tit., Mess.—Bene dormias, domine.

Brut.—Valeatis omnes.

[*Exeunt* CASSIUS, MESSALA, TITINIUS.

LUCIUS, *vestem afferens.*

Vestem mihi. Ubi cithara tua?

Luc.—In promptu est, domine.

Brut.—Vocem somno plenam habes: nec mirum, mî puer: diutius vigilâsti. Claudium voca, et si quis alius prope sit, ut in tentorio meo cubent.

Luc.—Varro, Claudiusque, adeste.

VARRO, CLAUDIUS.

Var.—Quid est, domine?

Brut.—Vos in tentorio meo cubare velim: forsitan vestrûm mihi opus erit ut ad Cassium nostrum mittam.

Var.—Si placet, vigilabimus, ut prompti simus.

Brut.—Non ita; cubetis, precor: vos fortasse non requiram. Ecce, Luci, librum, quem diu quæro, in vestis sinu a meipso positum. [*Cubant* SERVI.

Luc.—Certus eram, domine, te istum non im meam manum commisisse.

Brut.—Veniam peto, mî puer; vix satis memor sum. Potesne graves palpebras tuas paulisper relevare, ut breve quoddam melos citharâ dicas?

Luc.—Immo, si placet, domine.

Brut.—Placet, mî puer; importunior sum; te tamen nunquam non promptum novi.

Luc.—Officium meum ago, domine.

Brut.—Officium supra vires non urgendum est. Juventus requiem poscit.

Luc.—Jam ex somno sum, domine.

Brut.—Bene est; in somnum mox redibis: non te morabor diu. Si vivam, fortunæ tuæ mihi curæ erunt.

[*Psallit, cantatque* LUCIUS.

O vox somno plena! O letalis Sopor! Virgâne tuâ Letheâ puerum meum tangis, in te meditantem melos? dormias, mî puer; non ita male in te agam ut somnos abrumpam tuos: ne tamen citharam frangas, e manu capiam. Dormias, mî puer.

Jam ad librum meum:—nonne qua parte legebam obversa pagina est? ecce. [*Sedet.*

Umbra CÆSARIS.

Quam pusilla facta est hujus lucernæ lux! Di! quid adest? Incertine oculi mei informe hoc spectrum fingunt? Jam me invadit. Speciesne vera, an vana es? Divusne, Divorum nuntius, an ex Erebo Dæmon, qui sanguinem meum congelas, et crines stare facis? Dic mihi qui sis.

Umb.—Genius malus tuus, Brute.

Brut.—Quare ades?

Umb.—Ut moneam te Philippis me visurum.

Brut.—Bene est; ergo te iterum videbo?

Umb.—Scilicet—Philippis.

[*Evanescit Umbra.*

Brut.—Esto: te Philippis videbo. Quid! statim ut in me redeo, evanescis. Male ominate Dæmon, plura tecum loqui vellem.—Puer! Lucius! Varro! Claudius! Expergiscamini! Claudius!

Luc.—Chordæ discordes, domine.

Brut.—Se adhuc citharam pulsare putat. Expergiscere, Lucius.

Luc.—Quid est, domine?

Brut.—Somniabasne, Lucius, qui clamitares tantum?

Luc.—Me clamitâsse non novi.

Brut.—Clamitabas tamen. Videbasne aliquid?

Luc.—Nihil, domine.

Brut.—Iterum dormias.—Heus tu! Claudius! expergiscere.

Var.—Domine.

Claud.—Domine.

Brut.—Quare in somno tantum clamabatis?

Var., Claud.—Clamabamusne nos, domine?

Brut.—Certe: videbatisne aliquid?

Var.—Equidem nihil, domine.

Claud.—Nihil ego.

Brut.—Ite, salutate Cassium fratrem meum: ut castra primo mane moveat: ipsi sequemur.

Var., Claud.—Factum erit, domine.

ACTUS V.

SCENA I.

Campus ad Philippos.

OCTAVIUS, ANTONIUS, *cum suis.*

Oct.—Evenit uti sperabam, Antoni. Tu aiebas hostem in campum non descensurum; sed colles et loca edita obtenturum. Quod aliter se habet. Adsunt, ordinibus in prælium dispositis, et nos ad pugnam ultro provocantes Philippis manus conserere jubent.

Ant.—Vah! cum intimo eorum corde versor: consilia non me latent: mallent omnino non hic esse: sed, quum non aliter licet, animorum cum ostentatione quadam descendunt; nobis opinionem virtutis insinuantes: sed frustra.

NUNTIUS.

Nunt.—Accingamini, duces: hostis aciem viribus magnis instruit, vexillo ad pugnam jam proposito: statim confligendum erit.

Ant.—Octavi, in plano campo legiones tuas presso pede ad sinistram ducas.

Oct.—Dextrâ ego, sinistrâ tu.

Ant.—Quid est ut, imminente pugnâ, mihi sic refrageris, Octavi?

Oct.—Non refragor tibi; sed ita factum volo.

Tubae. BRUTUS, CASSIUS, *cum suis*; LUCILIUS, TITINIUS, MESSALA, *aliique.*

Brut.—Stant loco, et verba volunt.

Cass.—Consistant milites, Titini: nobis procedendum est, ut verba faciamus.

Oct.—M. Antoni, annon pugnæ signum dabimus?

Ant.—Minime, Octavi; prius verbis respondendum est. Locum date, milites; duces colloqui volunt.

Oct.—Exspectate signum.

Brut.—Priusne verba, Quirites?

Oct.—Non quod nobis, sicut vobis, verba placeant magis.

Brut.—Et tamen bon verba verberibus malis anteferenda, Octavi.

Ant.—Attamen tu, Brute, cum verberibus malis bona verba conjugis. Testis sit cor Cæsaris tuâ manu perfossum, dum clamabas, "Salve, Cæsar, bene valeas."

Cass.—Quæ vis in verberibus insit tuâ manu datis, Antoni, adhuc latet. Quod ad verba tua, Hyblæas apes spoliant, et melle orbas faciunt.

Ant.—Non aculeis tamen.

Brut.—Immo, aculeis et stridore simul. Apum enim morem imitaris, Antoni, prius stridore quam aculeo, usus.

Ant.—Non sic vos, sicarii, cum turpissimi enses vestri in latere Cæsaris inter se colliderentur. Vestra erant tum simiarum sannitus, blanditiæ canum, servorum adulatio, osculis in Cæsaris pedes impressis: hæc inter execrandus iste Casca, vilis catuli instar, a tergo Cæsarem percussit. Proh adulatorum gregem.

Cass.—Adulatorum!—Hoc in te redit, Brute. Lingua ista non hæc jactare hodie habuisset, si mihi auscultasses.

Oct.—Age, age, ad rem: si disputando sudamus, probando, sanguis ex sudore erit. Ecce, ensem in conjuratos strictum! Ecquando in vaginam rediturus est? Haud prius, quam, aut tribus istis et viginti Cæsaris vulneribus plenissime satisfactum fuerit, aut alter Cæsar proditorum gladiis succubuerit.

Brut.—Nullos per proditores, Cæsar, moriturus es, nisi per quos tecum ipse ducis.

Oct.—Spero quidem; nempe non natus sum ut Bruti gladio peream.

Brut.—O juvenis, si generis tui nobilissimus esses, nulla tibi mors honestior.

Cass.—Ecce puerum iracundiorem, cum mimo quodam et comissatore conjunctum!

Ant.—Cassius semper idem!

Oct.—Age, Antoni, eamus. Vos, proditores, ad bellum internecivum provocamus: hoc ipso die, si vultis; si non, statim ut vobis satis animi erit.

[*Exeunt* OCTAVIUS, ANTONIUS, *cum suis.*

Cass.—Furant venti, intumescat mare, solvatur navis! Ingruit procella; jacta alea est.

Brut.—Heus tu, Lucili! verbum tecum.

Lucil.—Adsum, domine.

[*Seorsim loquuntur.*

Cass.—Messala,—

Mess.—Quid vult dux meus?

Cass.—Hic meus natalis dies, Messala; hoc die Cassius natus est. Da manum, Messala. Testor te, me—sicut Pompeius noster—omnem libertatem nostram in uno prœlio invitum periclitari. Novisti me olim Epicuro et philosophiæ ejus consensisse. Jam opinionem muto; portentisque partim ut credam adducor. Proficiscentibus enim nobis ex Sardibus, primo vexillo nostro duæ ingentes aquilæ insidebant, quæ ex ipsis militum manibus carnem devorabant; nos autem usque ad Philippos comitatæ, hoc ipso mane avolaverunt: earum vice corvi, cornices, accipitresque nos supervolant, et, ut qui mox prædæ fuerimus, despectant. Horum subter umbras, quasi subter aulæa palliumque funebre, exercitus noster jacet, veluti in mortem designatus.

Mess.—Ne ita credas.

Cass.—Equidem non omnino credo; nempe fidenti animo sum, et in omnia discrimina parato.

Brut.—Esto, Lucili.

Cass.—Brute nobilissime, Di nobis hodie fausti sint, ut, partâ pace, annos in senium una amantissime producamus. Sed cum res humanæ fere incertæ sunt, pessimo providendum est. Si hoc prœlio vincemur, hodiernus hic sermo supremus noster erit. Tu, quomodo tuum agere instituisti?

Brut.—Scilicet secundum istam philosophiæ legem, quæ jussit ut Catoni mortem suâ ipsius manu conscitam in vitium darem. Etenim puto, nescio qua ratione, timidi et turpis esse, futuri metu, vitæ terminum prævenire. Quare patientiâ me involvo, ut Deorum—qualescunque sint qui mortales regunt—voluntatem expectem.

Cass.—Ergo contentus eris, si hodie vincemur, per Romæ vicos triumpho duci.

Brut.—Non ita, Cassi, non ita: ne tu, nobilis Romane, ne tu Brutum putes unquam in vinculis Romam rediturum. Brutus animosior quam qui hoc pati possit. Jam vero, hoc ipso die, opus Idibus Martiis institutum complendum est. Dabiturne nobis post hunc diem una esse incertum est. Jam nunc igitur in æternum valedicamus; æternum æternumque vale, Cassi. Cras, si una erimus, lætabimur; si non, bene erit ita nos dixisse "vale."

Cass.—Et tu æternumque vale, Brute. Cras si una erimus, certe lætabimur; si non, optime profecto erit ita nos dixisse "vale."

Brut.—Eia age; ad rem. O! qui hujusce diei exitum præsentire possit! Sufficiat tamen quod aliquando exiturus sit: exitus tum in luce erit. Ohe! ad pugnam!

[*Exeunt.*

SCENA II.

Campus. Strepitus pugnæ.

BRUTUS, MESSALA.

Brut.—Da fræna, Messala, da fræna; jussa mea legionibus ex alterâ campi parte dispositis quam citissime feras. [*Strepitus pugnæ.*

Statim aggrediantur; nempe alam Octavii jam labare sentio, et subito impetu profligari posse. Da fræna, Messala, da fræna; nostri statim procurrant.

SCENA III.

Campi pars altera. Strepitus pugnæ.

CASSIUS, TITINIUS.

Cass.—Eheu! ecce, ecce, Titini, turpissimi isti diffugiunt! Meis ipse hostis factus sum. Centurionem istum e nostris terga dantem occidi, aquilamque ex manibus eripui.

Titin.—O Cassi, Brutus nimis propere signum dedit; qui, cum Octavî aciem perrupisset, incautius invectus est. Tum rapere et spoliare milites: nos ab Antonio interea concludimur.

PINDARUS.

Pind.—Abi, domine, in longius abi. Castra habet M. Antonius. Ocyus abeundum est.

Cass.—In hoc colle satis absumus. Aspice, Titini; tentoria ista, ignibus confusa—nostrane sunt?

Titin.—Nostra, domine.

Cass.—Si me amas, Titini, in equum meum insilias; pressisque calcaribus, ad istas, quas jam indico tibi, turmas accedas, revertarisque ut sciam amici, an hostes sint.

Titin.—Dicto citius, domine. [*Exit.*

Cass.—Tu, Pindare, in collem istum, altius: naturâ hebetiores oculi mei. Titinium observa, et quo modo res per campum eat, mihi refer. [*Exit* PINDARUS.

Hoc die natus sum: tempus in se redit. Quæ hora initium, eadem finem dabit. Vitæ cursum peregi. Quid novi, Pindare?

Pind.—Eheu, domine.

Cass.—Quid novi igitur?

Pind.—Titinium video equitatu circumventum; in eum ruunt;—nec assequuntur tamen: jam, jam assequuntur; O Titinium!—pars equis desiliunt:—ipse desilit:—ah! captus est. Audisne? Captum conclamant. [*Clamor.*

Cass.—Descendas; nihil ulterius visum velim. O me ignavissimum, qui tamdiu vixerim, ut coram oculis captivus factus sit optumus meus!

PINDARUS.

Huc, mî bone; in Parthiâ a me captus pro vitâ redditâ jurâsti, quodcunque olim a me jussum foret, te pro virili suscepturum. Jam nunc jusjurandum exsolvas: jam nunc liber fias. Ensem hunc bonum cape: eo Cæsaris latus a me perfossum est: eo pectus meum tu perfodias. Ne respondeas: capulum prehende, et dum facies mea,

uti nunc obvelata est, in me cuspidem converte. Jam ultus es, O Cæsar, eodem, quo periisti, ferro.

[*Moritur.*

Pind.—Liber sum: nollem tamen, modo ausus essem. O Cassi, procul hinc Pindarus exul ibit, ubi nemini Romanorum unquam obvius erit. [*Exit.*

TITINIUS, MESSALA.

Mess.—Hæ modo belli vices, Titini; Octavius a Bruto, uti Cassius ab Antonio, profligatus est.

Tit.—Cassio nostro hoc magno solatio erit.

Mess.—Ubinam illum relinquebas?

Tit.—In hoc colle, dolore gravatum, cum Pindaro suo.

Mess.—Nonne ille est qui ibi humi jacet?

Tit.—Jacet, ut qui mortuus. O cor meum!

Mess.—Nonne ille est?

Tit.—Nequaquam, Messala. Fuit Cassius; non est. O sol, qui sanguineo infectus rubore, mox occasurus es, sic Cassii dies in rubro ipsius sanguine occasum habet. Sol Romæ occidit! Noster occidit dies! instant tenebræ, frigora noctis et pericula. De rebus nostris actum est. Desperatâ salute meâ, mortem sibi conscivit.

Mess.—Fortunâ nimis cito desperatâ, jacet. O infelix Error, Dolore orte! quam tuum est, propensis usque ad falsa hominum animis, vana pro veris commendare. Error, conceptu facilis, nunquam ad partum felicem perducte, genitricem ipsam parturiendo occidis.

Tit.—Ohe, Pindare! ubi es? Pindarum voco.

Mess.—Vide, si possis, ubi sit, Titini. Ipse Bruto nobili obviam eo, aures ejus verbis meis trajecturus, tela veneno tincta, Bruti aures libentius admitterent quam quæ nuntiatum eo.

Tit.—Statim eas, Messala, ego Pindarum quæro.

[*Exit MESSALA.*

O fortissime Cassi, quid me speculatum dimisisti? Ego autem—nonne tuos conveni, qui capiti meo hanc victricem coronam imposuere, ut tibi ipsi redderem? Quid, nonne acclamationes audiebas? Eheu, omnia male interpretatus! Etiam nunc tamen coronam fronte geras; tibi enim reddendam jussit Brutus tuus—Bruti jussum ago. Adsis, Brute, propere adsis, ut videas quanti ego Caium Cassium æstimaverim. Dii veniam date:—Romanum ago: veni, Cassii ferrum; cor Titinii exquiras.

[*Moritur.*

Pugnae strepitus. MESSALA, BRUTUS, CATO *junior*, STRATO, VOLUMNIUS, LUCILIUS.

Brut.—Ubinam, ubinam, Messala, jacet corpus?

Mess.—Ibi jacet; Et juxta Titinius qui casum plorat.

Brut.—Titinius ipse supinus jacet.

Cato.—Occisus est.

Brut.—O Juli Cæsar, adhuc viges. Tua terras pervagatur Umbra, et nostros ipsorum enses in nostra ipsorum viscera convertit.

[*Strepitus pugnae procul.*

Cato.—Fortissime Titini! Vide ut Cassium, et in morte, coronaverit.

Brut.—Supersuntne ex Romanis qui cum hisce conferri possint? Ultime Romanorum, valeas. Roma nunquam filium tui similem parere habebit. O amici mei, plures a me huic mortuo debentur lacrymæ quam nunc dare licet. Tempus inveniam, tempus inveniam, Cassi. Agamus ergo, in Thasum cadaver missum curemus, ne, exequiis inter castra factis, militum animi graventur. Age, Lucili; age, Cato; ad pugnam redeamus. Labeo, Flaviusque, aciem instruatis. Jam nona est; prœlii fortunam, Romani, hoc ipso die iterum tentabimus.

[*Exeunt.*

SCENA IV.

Campi pars altera.

Strepitus pugnæ. Milites utriusque exercitus inter se pugnantes. BRUTUS, CATO, LUCILIUS, *cum aliis.*

Brut.—O mei, ne cedatis; etiamnum contra hostem stetis.

Cato.—Quis adeo infamis ut recuset? Ohe quis mecum? Per campum nomen meum resonare faciam. Ecce me, Marci Catonis filium, tyrannis inimicum, Patriæ amicum. Ecce me, Marci Catonis filium; ohe!

[*In hostem incurrit.*

Brut.—Brutus ego, Marcus Brutus; Patriæ amicus; ecce Brutum!

[*Exit in hostem incurrens.* CATO *cadit.*

Lucil.—O Cato, nobilissime puer, tune etiam?—Esto—dignus Titinii in morte comes, dignus Catone patre.

1 Miles.—Dedas te, ne cædam.

Lucil.—Dedo, ut cæedas: hos nummos cape ut confestim cædas. Occiso Bruto, tibi honor erit.

1 Miles.—Non licet. Captivum vere nobilem habemus.

2 Miles.—Ohe! locum date. Dic Antonio Brutum captum esse.

1 Miles.—Dicam.—Sed ecce Antonium.

ANTONIUS.

Brutum habemus, domine; Brutum habemus.

Ant.—Ubi igitur Brutus?

Lucil.—Salvus, Antoni; satis salvus Brutus est: tu pro certo habe neminem unquam nobilissimum Brutum vivum capturum: Di tantum dedecus ab illo prohibeant! Quod si enim aliquando inveneris, vivus sit, mortuusve, Bruto dignus, seipso dignus, invenietur.

Ant.—Mî bone, non hic Brutus est: nec minoris pretii tamen. Hunc tuto et comiter custodias: mallem tales amicos, quam inimicos. Ite, passim Brutum exquirite, vivus mortuusve sit; et de omnibus ad Octavii tentorium referte. [*Exeunt.*

SCENA V.

Campi pars altera.

BRUTUS, DARDANIUS, CLITUS, STRATO, VOLUMNIUS.

Brut.—O, quod amicorum reliquum est, in hoc scopulo requiescamus.

Clit.—Statilius, uti jussus, facem ostendit; nec tamen redit, domine: vel captus, vel occisus est.

Brut.—Huc, Clite, ad me: sedas: apte "occisum" dicis: cædendi tempus est. Ausculta, capisne?

[*In aurem ejus.*

Clit.—Egone, mî domine! Non, per Deos omnes, non ego.

Brut.—Taceas, saltem, taceas——

Clit.—Mallem meipsum——

Brut.—Tu jam, Dardani, ausculta. [*In aurem ejus.*

Dard.—Mene tale facinus!

Clit.—O Dardani!

Dard.—O Clite!

Clit.—Quodnam nefas a te petebat Brutus?

Dard.—Ut eum interficerem: sed vide quam intento animo est.

Clit.—O dominum nobilissimum! Viden? Adeo ægritudinis plenus est, ut ex oculis exundet dolor.

Brut.—Huc, mî Volumni, verbum tecum.

Volum.—Quid vult dominus meus?

Brut.—Nempe hoc volo: Cæsaris umbra mihi visa est: bis visa—noctu: primum Sardibus; dein, hac ipsâ nocte, Philippis. Mortis meæ horam adesse sentio.

Volum.—Ne ita, domine.

Brut.—Adest, Volumni; satis scio. Nonne vides quo in casu simus? hostis nos ad fossam compulit: magis decet ultro insilire, quam expectare compellentium manus. Mî Volumni, meministi nos olim apud scholam condiscipulos fuisse; per veterem amorem nostrum obsecro ensem meum fixum teneas, ut in eum memet conjiciam.

Volum.—Istud vix amici, domine. [*Strepitus pugnæ.*

Clit.—Fugiendum, domine, fugiendum; nullus jam moræ locus.

Brut.—Valeas;—et tu;—et tu, Volumni. Strato; ah dormiebas;—et tu valeas, Strato. Jam mihi præsertim gratulor, sodales, quod quamdiu vixerim, neminem, nisi mihi fidelem, cognoverim. Mihi devicto plus gloriæ est, quam Octavio et Marco Antonio inhonestissimâ victoriâ potitis. Bene itaque omnes simul valeatis; paullum abest ut Bruti lingua vitam enarrandi finem faciat: nox oculis obrepit: ossa mea, quæ in hanc horam exoptandam laborârunt, libentissime conquiescent.

[*Pugnæ strepitus. Clamant intus. Fuge, fuge.*

Clit.—Fugias, domine, fugias.

Brut.—Abite; sequar.

[*Exeunt* CLITUS, DARDANIUS, VOLUMNIUS.

Strato, mecum maneas, precor, domino tuo. Bonæ tu famæ vir, neque profecto honoris expers: ensem meum prehendas, faciemque avertas, dum in eum incurram. Aisne, Strato?

Strato.—Primo da manum: valeas, mî domine.

Brut.—Mî Strato, valeas. Cæsar, jam tandem requiescas: O quanto promtior in meipsum, quam in te, manus mea!

[*Se in ensem conjicit. Moritur. Pugnæ strepitus. Victi diffugiunt.*

OCTAVIUS, ANTONIUS, MESSALA, LUCILIUS, *cum suis.*

Oct.—Quis iste?

Mess.—Servus domini mei.—Strato, ubinam dominus tuus?

Strato.—Non quo tu servitio, Messala. Victoribus se non nisi ad comburendum tradit. Brutus a Bruto solo superatur. Bruti mors nemini nisi Bruto gloriæ est.

Lucil.—Haud aliter Brutum inventum decet. Gratias ago, Brute, quod Lucilium verum vatem comprobaveris.

Oct.—Qui Bruti erant nemo non a me acceptus erit. Tune mecum mî bone?

Strato.—Immo, si Messalæ placebit.

Oct.—Placeat tibi, Messala.

Mess.—Quonam more mortuus est, Strato, dominus meus?

Strato.—Ego ensem prætendi; ipse se in aciem conjecit.

Mess.—Hunc igitur tuorum numero inscribas, Octavi, qui domino meo officium supremum reddidit.

Ant.—Hic istorum omnium nobilissimus Romanus: alii omnes magni Cæsaris invidiâ conjuraverunt; solus ille honesto consilio, et pro communi omnium bono, se cum cæteris consociavit. Mite ingenium, omnesque vitæ ejus ita temperatæ partes, ut Natura ipsa hunc digito monstrare, et coram omnibus proclamare possit—Ecce—Homo fuit!

Oct.—Hunc igitur, pro ejus virtute, omni cultu, exequiis rite peragendis, prosequamur. In tentorio meo hanc noctem corpus, uti milieem decet, summo honore componendum curemus. Nostri jam requiescant: deinde eamus, ut felicis hujus diei gloriam, uti justum erit, participemus.

[*Exeunt.*

FINIS.

LONDON:

G. J. PALMER, SAVOY STREET, STRAND.

Transcriber's Notes:

- Actus I, Scena II: "(quorum tu-Cassi" ➞ "(quorum tu Cassi"
- Actus I, Scena II: "inter pretentur" (at page break) ➞ "interpretentur"
- Actus I, Scena II: "ore aperto, fædum" ➞ "ore aperto, fœdum"
- Actus I, Scena III: "vel fovere novis" ➞ "vel fovere non vis"
- Actus II, Scena I: "nosmet clam fæderati" ➞ "nosmet clam fœderati"
- Actus II, Scena IV: all references to "ARUSPEX/Arus." replaced by "ARTEMIDORUS/Art." (according to "The Complete Works of William Shakespeare" (Spring Books London)
- Actus III, Scena I: "*Cæs.*—Jamne parati sumus? Quænam igitur sint..." ➞ "*Casc.*—Jamne parati sumus?" and next line: "*Cæs.*—Quænam igitur sint..." (according to "The Complete Works of William Shakespeare", Spring Books London)
- Actus III, Scena I: "*Cas.*—Pro me" ➞ "*Casc.*—Pro me"
- Actus III, Scena II: "pænam luit" ➞ "pœnam luit"
- Actus III, Scena II: "graves pænas" ➞ "graves pœnas"
- Actus III, Scena II: "*Cit. 2.*—O Cæsarem" ➞ "*Civ. 2.*—O Cæsarem"

- Actus IV, Scena III: "idcirco Pæna" ➞ "idcirco Pœna"
- Actus IV, Scena III: "Pænam" ➞ "Pœnam" (2 times)
- Actus V, Scena I: "*Luc.*—Adsum, domine." ➞ "*Lucil.*—Adsum, domine." (according to "The Complete Works of William Shakespeare", Spring Books London)
- Actus V, Scena III: "factus sit optumus". Not changed to "optimus" because "optumus" is a valid albeit old variant.
- Actus V, Scena III: "[*Exit Messala.*" ➞ "[*Exit MESSALA.*"

End of the Project Gutenberg EBook of Julius Caesar, by William Shakespeare

*** END OF THIS PROJECT GUTENBERG EBOOK JULIUS CAESAR ***

***** This file should be named 46768-h.htm or 46768-h.zip *****
This and all associated files of various formats will be found in:
        http://www.gutenberg.org/4/6/7/6/46768/

Produced by Carolus Raeticus
Updated editions will replace the previous one--the old editions will
be renamed.

Creating the works from print editions not protected by U.S. copyright
law means that no one owns a United States copyright in these works,
so the Foundation (and you!) can copy and distribute it in the United
States without permission and without paying copyright
royalties. Special rules, set forth in the General Terms of Use part
of this license, apply to copying and distributing Project
Gutenberg-tm electronic works to protect the PROJECT GUTENBERG-tm
concept and trademark. Project Gutenberg is a registered trademark,
and may not be used if you charge for the eBooks, unless you receive
specific permission. If you do not charge anything for copies of this
eBook, complying with the rules is very easy. You may use this eBook
for nearly any purpose such as creation of derivative works, reports,
performances and research. They may be modified and printed and given
away--you may do practically ANYTHING in the United States with eBooks
not protected by U.S. copyright law. Redistribution is subject to the
trademark license, especially commercial redistribution.

START: FULL LICENSE

THE FULL PROJECT GUTENBERG LICENSE
PLEASE READ THIS BEFORE YOU DISTRIBUTE OR USE THIS WORK

To protect the Project Gutenberg-tm mission of promoting the free
distribution of electronic works, by using or distributing this work
(or any other work associated in any way with the phrase "Project
Gutenberg"), you agree to comply with all the terms of the Full
Project Gutenberg-tm License available with this file or online at
www.gutenberg.org/license.

Section 1. General Terms of Use and Redistributing Project
Gutenberg-tm electronic works

1.A. By reading or using any part of this Project Gutenberg-tm
electronic work, you indicate that you have read, understand, agree to
and accept all the terms of this license and intellectual property
(trademark/copyright) agreement. If you do not agree to abide by all
the terms of this agreement, you must cease using and return or
destroy all copies of Project Gutenberg-tm electronic works in your

possession. If you paid a fee for obtaining a copy of or access to a Project Gutenberg-tm electronic work and you do not agree to be bound by the terms of this agreement, you may obtain a refund from the person or entity to whom you paid the fee as set forth in paragraph 1.E.8.

1.B. "Project Gutenberg" is a registered trademark. It may only be used on or associated in any way with an electronic work by people who agree to be bound by the terms of this agreement. There are a few things that you can do with most Project Gutenberg-tm electronic works even without complying with the full terms of this agreement. See paragraph 1.C below. There are a lot of things you can do with Project Gutenberg-tm electronic works if you follow the terms of this agreement and help preserve free future access to Project Gutenberg-tm electronic works. See paragraph 1.E below.

1.C. The Project Gutenberg Literary Archive Foundation ("the Foundation" or PGLAF), owns a compilation copyright in the collection of Project Gutenberg-tm electronic works. Nearly all the individual works in the collection are in the public domain in the United States. If an individual work is unprotected by copyright law in the United States and you are located in the United States, we do not claim a right to prevent you from copying, distributing, performing, displaying or creating derivative works based on the work as long as all references to Project Gutenberg are removed. Of course, we hope that you will support the Project Gutenberg-tm mission of promoting free access to electronic works by freely sharing Project Gutenberg-tm works in compliance with the terms of this agreement for keeping the Project Gutenberg-tm name associated with the work. You can easily comply with the terms of this agreement by keeping this work in the same format with its attached full Project Gutenberg-tm License when you share it without charge with others.

1.D. The copyright laws of the place where you are located also govern what you can do with this work. Copyright laws in most countries are in a constant state of change. If you are outside the United States, check the laws of your country in addition to the terms of this agreement before downloading, copying, displaying, performing, distributing or creating derivative works based on this work or any other Project Gutenberg-tm work. The Foundation makes no representations concerning the copyright status of any work in any country outside the United States.

1.E. Unless you have removed all references to Project Gutenberg:

1.E.1. The following sentence, with active links to, or other immediate access to, the full Project Gutenberg-tm License must appear prominently whenever any copy of a Project Gutenberg-tm work (any work on which the phrase "Project Gutenberg" appears, or with which the phrase "Project Gutenberg" is associated) is accessed, displayed, performed, viewed, copied or distributed:

> This eBook is for the use of anyone anywhere in the United States and most other parts of the world at no cost and with almost no restrictions whatsoever. You may copy it, give it away or re-use it under the terms of the Project Gutenberg License included with this eBook or online at www.gutenberg.org. If you are not located in the United States, you'll have to check the laws of the country where you are located before using this ebook.

1.E.2. If an individual Project Gutenberg-tm electronic work is derived from texts not protected by U.S. copyright law (does not contain a notice indicating that it is posted with permission of the copyright holder), the work can be copied and distributed to anyone in the United States without paying any fees or charges. If you are redistributing or providing access to a work with the phrase "Project Gutenberg" associated with or appearing on the work, you must comply either with the requirements of paragraphs 1.E.1 through 1.E.7 or obtain permission for the use of the work and the Project Gutenberg-tm

trademark as set forth in paragraphs 1.E.8 or 1.E.9.

1.E.3. If an individual Project Gutenberg-tm electronic work is posted with the permission of the copyright holder, your use and distribution must comply with both paragraphs 1.E.1 through 1.E.7 and any additional terms imposed by the copyright holder. Additional terms will be linked to the Project Gutenberg-tm License for all works posted with the permission of the copyright holder found at the beginning of this work.

1.E.4. Do not unlink or detach or remove the full Project Gutenberg-tm License terms from this work, or any files containing a part of this work or any other work associated with Project Gutenberg-tm.

1.E.5. Do not copy, display, perform, distribute or redistribute this electronic work, or any part of this electronic work, without prominently displaying the sentence set forth in paragraph 1.E.1 with active links or immediate access to the full terms of the Project Gutenberg-tm License.

1.E.6. You may convert to and distribute this work in any binary, compressed, marked up, nonproprietary or proprietary form, including any word processing or hypertext form. However, if you provide access to or distribute copies of a Project Gutenberg-tm work in a format other than "Plain Vanilla ASCII" or other format used in the official version posted on the official Project Gutenberg-tm web site (www.gutenberg.org), you must, at no additional cost, fee or expense to the user, provide a copy, a means of exporting a copy, or a means of obtaining a copy upon request, of the work in its original "Plain Vanilla ASCII" or other form. Any alternate format must include the full Project Gutenberg-tm License as specified in paragraph 1.E.1.

1.E.7. Do not charge a fee for access to, viewing, displaying, performing, copying or distributing any Project Gutenberg-tm works unless you comply with paragraph 1.E.8 or 1.E.9.

1.E.8. You may charge a reasonable fee for copies of or providing access to or distributing Project Gutenberg-tm electronic works provided that

* You pay a royalty fee of 20% of the gross profits you derive from the use of Project Gutenberg-tm works calculated using the method you already use to calculate your applicable taxes. The fee is owed to the owner of the Project Gutenberg-tm trademark, but he has agreed to donate royalties under this paragraph to the Project Gutenberg Literary Archive Foundation. Royalty payments must be paid within 60 days following each date on which you prepare (or are legally required to prepare) your periodic tax returns. Royalty payments should be clearly marked as such and sent to the Project Gutenberg Literary Archive Foundation at the address specified in Section 4, "Information about donations to the Project Gutenberg Literary Archive Foundation."

* You provide a full refund of any money paid by a user who notifies you in writing (or by e-mail) within 30 days of receipt that s/he does not agree to the terms of the full Project Gutenberg-tm License. You must require such a user to return or destroy all copies of the works possessed in a physical medium and discontinue all use of and all access to other copies of Project Gutenberg-tm works.

* You provide, in accordance with paragraph 1.F.3, a full refund of any money paid for a work or a replacement copy, if a defect in the electronic work is discovered and reported to you within 90 days of receipt of the work.

* You comply with all other terms of this agreement for free distribution of Project Gutenberg-tm works.

1.E.9. If you wish to charge a fee or distribute a Project Gutenberg-tm electronic work or group of works on different terms than are set forth in this agreement, you must obtain permission in writing from both the Project Gutenberg Literary Archive Foundation and The Project Gutenberg Trademark LLC, the owner of the Project Gutenberg-tm trademark. Contact the Foundation as set forth in Section 3 below.

1.F.

1.F.1. Project Gutenberg volunteers and employees expend considerable effort to identify, do copyright research on, transcribe and proofread works not protected by U.S. copyright law in creating the Project Gutenberg-tm collection. Despite these efforts, Project Gutenberg-tm electronic works, and the medium on which they may be stored, may contain "Defects," such as, but not limited to, incomplete, inaccurate or corrupt data, transcription errors, a copyright or other intellectual property infringement, a defective or damaged disk or other medium, a computer virus, or computer codes that damage or cannot be read by your equipment.

1.F.2. LIMITED WARRANTY, DISCLAIMER OF DAMAGES - Except for the "Right of Replacement or Refund" described in paragraph 1.F.3, the Project Gutenberg Literary Archive Foundation, the owner of the Project Gutenberg-tm trademark, and any other party distributing a Project Gutenberg-tm electronic work under this agreement, disclaim all liability to you for damages, costs and expenses, including legal fees. YOU AGREE THAT YOU HAVE NO REMEDIES FOR NEGLIGENCE, STRICT LIABILITY, BREACH OF WARRANTY OR BREACH OF CONTRACT EXCEPT THOSE PROVIDED IN PARAGRAPH 1.F.3. YOU AGREE THAT THE FOUNDATION, THE TRADEMARK OWNER, AND ANY DISTRIBUTOR UNDER THIS AGREEMENT WILL NOT BE LIABLE TO YOU FOR ACTUAL, DIRECT, INDIRECT, CONSEQUENTIAL, PUNITIVE OR INCIDENTAL DAMAGES EVEN IF YOU GIVE NOTICE OF THE POSSIBILITY OF SUCH DAMAGE.

1.F.3. LIMITED RIGHT OF REPLACEMENT OR REFUND - If you discover a defect in this electronic work within 90 days of receiving it, you can receive a refund of the money (if any) you paid for it by sending a written explanation to the person you received the work from. If you received the work on a physical medium, you must return the medium with your written explanation. The person or entity that provided you with the defective work may elect to provide a replacement copy in lieu of a refund. If you received the work electronically, the person or entity providing it to you may choose to give you a second opportunity to receive the work electronically in lieu of a refund. If the second copy is also defective, you may demand a refund in writing without further opportunities to fix the problem.

1.F.4. Except for the limited right of replacement or refund set forth in paragraph 1.F.3, this work is provided to you 'AS-IS', WITH NO OTHER WARRANTIES OF ANY KIND, EXPRESS OR IMPLIED, INCLUDING BUT NOT LIMITED TO WARRANTIES OF MERCHANTABILITY OR FITNESS FOR ANY PURPOSE.

1.F.5. Some states do not allow disclaimers of certain implied warranties or the exclusion or limitation of certain types of damages. If any disclaimer or limitation set forth in this agreement violates the law of the state applicable to this agreement, the agreement shall be interpreted to make the maximum disclaimer or limitation permitted by the applicable state law. The invalidity or unenforceability of any provision of this agreement shall not void the remaining provisions.

1.F.6. INDEMNITY - You agree to indemnify and hold the Foundation, the trademark owner, any agent or employee of the Foundation, anyone providing copies of Project Gutenberg-tm electronic works in accordance with this agreement, and any volunteers associated with the production, promotion and distribution of Project Gutenberg-tm electronic works, harmless from all liability, costs and expenses, including legal fees, that arise directly or indirectly from any of the following which you do or cause to occur: (a) distribution of this

or any Project Gutenberg-tm work, (b) alteration, modification, or additions or deletions to any Project Gutenberg-tm work, and (c) any Defect you cause.

Section 2. Information about the Mission of Project Gutenberg-tm

Project Gutenberg-tm is synonymous with the free distribution of electronic works in formats readable by the widest variety of computers including obsolete, old, middle-aged and new computers. It exists because of the efforts of hundreds of volunteers and donations from people in all walks of life.

Volunteers and financial support to provide volunteers with the assistance they need are critical to reaching Project Gutenberg-tm's goals and ensuring that the Project Gutenberg-tm collection will remain freely available for generations to come. In 2001, the Project Gutenberg Literary Archive Foundation was created to provide a secure and permanent future for Project Gutenberg-tm and future generations. To learn more about the Project Gutenberg Literary Archive Foundation and how your efforts and donations can help, see Sections 3 and 4 and the Foundation information page at www.gutenberg.org Section 3. Information about the Project Gutenberg Literary Archive Foundation

The Project Gutenberg Literary Archive Foundation is a non profit 501(c)(3) educational corporation organized under the laws of the state of Mississippi and granted tax exempt status by the Internal Revenue Service. The Foundation's EIN or federal tax identification number is 64-6221541. Contributions to the Project Gutenberg Literary Archive Foundation are tax deductible to the full extent permitted by U.S. federal laws and your state's laws.

The Foundation's principal office is in Fairbanks, Alaska, with the mailing address: PO Box 750175, Fairbanks, AK 99775, but its volunteers and employees are scattered throughout numerous locations. Its business office is located at 809 North 1500 West, Salt Lake City, UT 84116, (801) 596-1887. Email contact links and up to date contact information can be found at the Foundation's web site and official page at www.gutenberg.org/contact

For additional contact information:

    Dr. Gregory B. Newby
    Chief Executive and Director
    gbnewby@pglaf.org

Section 4. Information about Donations to the Project Gutenberg Literary Archive Foundation

Project Gutenberg-tm depends upon and cannot survive without wide spread public support and donations to carry out its mission of increasing the number of public domain and licensed works that can be freely distributed in machine readable form accessible by the widest array of equipment including outdated equipment. Many small donations ($1 to $5,000) are particularly important to maintaining tax exempt status with the IRS.

The Foundation is committed to complying with the laws regulating charities and charitable donations in all 50 states of the United States. Compliance requirements are not uniform and it takes a considerable effort, much paperwork and many fees to meet and keep up with these requirements. We do not solicit donations in locations where we have not received written confirmation of compliance. To SEND DONATIONS or determine the status of compliance for any particular state visit www.gutenberg.org/donate

While we cannot and do not solicit contributions from states where we have not met the solicitation requirements, we know of no prohibition against accepting unsolicited donations from donors in such states who

approach us with offers to donate.

International donations are gratefully accepted, but we cannot make any statements concerning tax treatment of donations received from outside the United States. U.S. laws alone swamp our small staff.

Please check the Project Gutenberg Web pages for current donation methods and addresses. Donations are accepted in a number of other ways including checks, online payments and credit card donations. To donate, please visit: www.gutenberg.org/donate

Section 5. General Information About Project Gutenberg-tm electronic works.

Professor Michael S. Hart was the originator of the Project Gutenberg-tm concept of a library of electronic works that could be freely shared with anyone. For forty years, he produced and distributed Project Gutenberg-tm eBooks with only a loose network of volunteer support.

Project Gutenberg-tm eBooks are often created from several printed editions, all of which are confirmed as not protected by copyright in the U.S. unless a copyright notice is included. Thus, we do not necessarily keep eBooks in compliance with any particular paper edition.

Most people start at our Web site which has the main PG search facility: www.gutenberg.org

This Web site includes information about Project Gutenberg-tm, including how to make donations to the Project Gutenberg Literary Archive Foundation, how to help produce our new eBooks, and how to subscribe to our email newsletter to hear about new eBooks.